



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

Controversia XIV. De Habitibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

substantialis, & consequenter species creata, & dependens obiecti increati, & species finita respiciens obiectum infinitum. Ut de specie expressa, seu de visione Dei tenentur omnes fateri.

8 Obiicies tertio, Deus in sua entitate est incircumscriptus, & illimitatus: ergo non potest circumscribi specie impressa, aliàs posset comprehendi. Inferrent melius Thomista: ergo non potest circumscribi specie expressa. Resp. Deum esse incircumscriptum, & illimitatum, & ita non posse circumscribi specie impressa productiva expressæ comprehensionis Dei; posse tamen cognosci media specie impressa productiva speciei expressæ claræ Dei, non comprehensionis. Quid addat species expressa, seu cognitio comprehensionis supra cognitionem claram, & intuitivam obiecti, dixi Contr. 6. Punct. 5.

9 Obiicies 4. Species impressa producitur necessariò à suo obiecto: sed nulla creatura produci potest necessariò à Deo: ergo nulla creatura potest esse species impressa Dei. Maiorem probant Thomista inductione aliorum obiectorum, quæ producant species sui non liberè, sed necessariò. Deinde ratione: species impressa est semen intentionale obiecti: ergo, etiam si obiectum aliàs sit agens liberum procedet ab illo, non vt vult obiectum, sed vt est. Vrgent: species impressa procedit ab obiecto, vt cognoscibili, & emissiuo speciei impressæ; sed obiectum est necessariò emissiuum specierum impressarum: ergo illas necessariò emittit: ergo si Deus speciem impressam sui produceret, illam produceret necessariò. Retorqueo argumentum in sententia, quæ negat speciem impressam Dei. Omne obiectum immediatè concurrens ad sui cognitionem, vel sensationem, concurret necessariò; sed Deus non potest concurrere necessariò ad sui cognitionem: ergo nullo modo. Forma arguendi est eadem, quam aduersarij in nos obseruant. Minor est eadem in vtraque argumentatione. Maior eadem habet probationes ex inductione aliorum obiectorum, & ex ratione, quam aduersarij adducunt. Quia obiectum concurret immediatè ad sui visionem, quatenus visibile, & productiuum visionis; sed necessariò est visibile, & productiuum visionis: ergo necessariò concurret ad visionem.

10 Respondeo: non omnem speciem produci necessariò à suo obiecto, quia species impressæ, quas habent Angeli, producuntur liberè à Deo. Inductio, quæ fit, ad probandum omnem speciem produci necessariò à suo obiecto probat omnem speciem impressam, productam à proprio obiecto creato, produci necessariò ab illo; non verò idem esse dicendum de specie impressa, producta ab obiecto increato: Sicuti non ex eo quod omne obiectum creatum immediatè concurrens ad speciem expressam sui, concurret necessariò, potest inferri Deum necessariò concursurum, si concurret immediatè ad speciem expressam sui. Illa enim, quæ in creaturis necessariò contingunt, in Deo liberè sunt propter infinitam perfectionem Dei. Ad illud, quod dicitur: speciem impressam esse semen obiecti, dicendum est: speciem impressam dici semen obiecti metaphoricè, & ita non in omnibus species impressa debet procedere ab obiecto eodem modo, quo procedit verum semen à viuenti, à quo decidit. Et distinguendum est consequens illatum, scilicet, ergo procedet ab obiecto, non vt liberò, sed vt est. Procedet ab obiecto eo ipso, quod fit, & non eo ipso quod velit illam producere, nego. Procedet ab obiecto, quando liberè ab illo procedit, representans illud, vt in se est, & non, vt obiectum vult representari, si velit representari aliter, quam est concedo consequentiam. Vltimum, quod in argumento adducitur egregiam continet æquiuocationem latentem in illa minori: *obiectum est necessariò emissiuum specierum*, I quam claritatis gratia, distinguo. Obiectum habet necessariò, & non liberè virtutem emissiuam specierum, concedo: obiectum habet virtutem emissiuam specierum, quæ operetur necessariò, nego: ergo species producuntur necessariò ab obiecto, nego consequentiam. Vide eandem arguendi formam in quacunque alia creatura, Ignis v.g. procedit à Deo, quatenus Deus habet virtutem productiuam illius: sed Deus necessariò habet talem virtutem: ergo necessariò producit ignem. Pessima consequentia.

11 Obiicies. Manus speciei impressæ est, supplere absentiam obiecti, & vices illius; sed Deus semper est intimè præsens: ergo potest dari species impressa, quæ suppleat vices illius. Prolixè multi hic disputant, An species impressa sit vicaria obiecti, & an suppleat vices illius: Quæ con-

Francisc. de Quiedo Philosoph. Tom. II.

tentio est purè de nomine. Resp. manus speciei impressæ esse, concurrere ad expressam producendam, quotiescumque obiectum non concurret, vel quia non habet virtutè concurrendi, vel quia absens est, vel quia liberè non vult immediatè concurrere, etiam si virtutem habeat, & præsens sit, vel ex quocunque alio capite, & hac ratione potest species impressa concurrere ad speciem expressam Dei producendam quia Deus, etiam si virtutem habeat concurrendi immediatè ad illam, & præsens sit pro sua libertate, non vult concurrere immediatè ad speciem expressam suam sed media specie impressa.

Non multum ab hac ratione distat illasquam P. Arrubal pro hac sententia adduxit, licet argumentum ab illo factum longè alia excedat species, & modo proponendi. Paucis do argumentum Arrub. Deus immediatè, & per suam essentiam est obiectum visibile, & motiuum visionis: ergo non potest ad illam mouere medio alio: probat consequentiam. Nulla entitas habet media alia forma id, quo gaudet per suam entitatem: sed essentia diuina per suam entitatem est motiuum visionis: ergo non potest habere hanc virtutem motiuam media alia entitate: ergo non potest mouere ad visionem media specie impressa. Resp. duo habere obiectum, terminare visionem, & mouere ad illam, seu actiue concurrere ad productionem ipsius. Primum semper conuenit diuine essentiae per suam entitatem, siue detur species impressa siue non, vt docet Arrub. & ego admitto. Secundum quod est mouere ad visionem, seu concurrere actiue ad illam, potest considerari in actu primo, & in actu secundo: in actu primo conuenit Deo secundum suam entitatem posse concurrere ad visionem, & similiter conuenit illi immediatè, quia potest, non solum immediatè, sed mediatè concurrere ad visionem, & in hoc nulla est repugnantia. Sicuti non est in eo quod Deus sit productiuus immediatè caloris, & mediatè, quia per suam entitatem potest calorem producere, & medio igne. Si consideretur in actu secundo, hoc quod est Deum mouere ad visionem, non conuenit illi per suam entitatem, sed semper per actionem superadditam procedentem immediatè à Deo, si immediatè mouet ad visionem, & mediatè, si mouet ad illam media specie. Ad illud, quod addit Arrub. nullam entitatem habere per aliam superadditam, quod per se habet. Resp. Deum per suam entitatem tantum habere, posse immediatè mouere ad visionem, & illam producere, quod non habet per speciem impressam, quia per hanc non potest immediatè visionem producere, neque immediatè ad illam mouere, sed tantum mediatè. Et de facto mouere ad illam, ipsamque producere, non habet Deus neque per se ipsum, neque per speciem impressam, sed per actionem procedentem ab ipso, vel ab specie impressa. Ex qua doctrina rectè defenditur possibilitas speciei impressæ Dei, admissio illo principio, scilicet, nullam entitatem posse habere per aliquid superadditum id, quod per se habet.

CONTROVERSIA XIV.

De Habitibus.



HABITVS est quedam animi affectio illi inhærens, qua adiutus suas elicit operationes. Est enim illarum principium modo postea explicandò. Quapropter, ad exactam potentiarum, actuumque naturam cognoscendam, habituum notitia perutilis est, & necessaria. Habitus est duplex, vnus supernaturalis, & infusus; alius naturalis, & acquisitus. De virtutisque natura in hoc Puncto sermonem instituam.

PUNCTVM PRIMVM.

De habitibus infusis.

HABitus supernaturalis est qualitas quadam à Deo infusa potentia, vt eam eleuet, ad actus altioris ordinis producendos.

eendos, quos natura sua sine alio principio attingere non potest. Dicitur habitus à Deo infusus, quia primò à Deo datur, & infunditur animæ sine aliquo illius influxu. Eleuare potentiam dicitur, quia illo instructa anima producit actum excellentioris naturæ, quem sine illo producere non potest. Voluntas enim naturalis potentia naturales tantum actus ex se potest producere, instructa verò habitu charitatis infuso actum supernaturalem amoris Dei producit perfectiorem aliis actibus, quos sine habitu eadem anima producere valet, & simul perfectiorem ipsa anima secundum prædicatum supernaturalitatis ex se perfectius prædicato naturalitatis.

2. Ex hoc infero: hos habitus esse simpliciter necesarios ad suos actus, quia sine illis non est potentia simpliciter adæquatè potens, seu in actu primo, ad actus producendos. Ex hoc capite sumitur prima differentia inter habitus infusos, & acquisitos. Quia infusi dantur, vt simpliciter anima fiat potens, elicere actus supernaturales, vt explicatum est, acquisiti verò dantur, vt anima, simpliciter potens operari sine illis, facilius cum illis operetur. Dico requiri habitus infusos ad actus supernaturales elicendos, quod non ita intelligendum est, vt non possit supernaturaliter dari actus supernaturalis sine habitu. Potest enim Deus supplere concursu habitus supernaturalis, & per auxilium extrinsecum potentiam eleuare ad actum supernaturalem producendum, quia semper ille requiritur, vel aliquid, quod suppleat illius vices: quo modo habitus acquisiti non requiruntur, quia sine illis, & sine aliquo, quod illius vices suppleat, actus naturales optimè eliciuntur.

3. Habitus infusus est simplex qualitas deseruiens ad omnes actus, qui sunt in quacunque materia ex proprio motiuo. Expli gratia: habitus charitatis eleuat animam, vt possit Deum amare, & propter ipsum, & vt possit, proximi propter ipsum Deum amare: vt possit abstinere à cibo, & potu, aliisque quibuscumque corporis voluptatibus propter Deum, & vt possit ex eodem motiuo mortem subire. Qui omnes actus ex eodem motiuo in materiis adde diuersis ab eodem supernaturali habitu procedunt. Ex hoc capite alia suboritur differentia inter habitus infusos, & acquisitos, quia habitus acquisiti multiplicantur pro multiplicatione materiæ, in quibus diuersa reperiuntur difficultas, etiam si motiuum in materiis diuersis sit idem. Exempli gratia: Potest quis habere habitum acquisitum, elicendi actus temperantiæ circa cibum, ex vi cuius facilis sit, ad exercendos actus temperantiæ circa cibum, & nihilominus ex vitalis habitus non habere facilitatem, vt abstinere à potu. Quod sæpe experimur in multis hominibus, qui diu famem sustinent, & sui impotes sunt, vt à nimio, & intemperato potu abstineant. Ratio disparitatis, à priori petita, hæc est. Habitus acquisiti dantur præcisè, propter difficultatē vincendam: cum verò ex distinctis materiis distincta difficultas suboritur, distincta facilitas, seu distinctus habitus, ad illam vincendam necessarius est. Habitus infusi non dantur propter facilitatem, sed vt actus ex tali motiuo supernaturales euadant. Cum verò ex diuersa materia motiuum, neque supernaturalitas, non distinguatur, habitum distinguere, necesse non est.

4. Habitus supernaturales moraliter, & meritorie intendi ab actibus, certum est. Et non solum intenduntur ab actibus, qui sunt ex motiuo, ad quod eleuant habitus, sed ex quocumque actu elicto ab homine iusto, habente dignitatem ad gratiam, & gloriam. Quia per quemcumque actum meritorium hominis iusti augetur gratia habitualis, & habitus charitatis, & cum his (vt concors Theologorum tenet sententia) omnes habitus supernaturales virtutem infusarum, qui charitatem comitantur. Dubium esse poterat, an habitus hi non solum moraliter, sed etiam physice intenduntur ab actibus. Circa quod Arriaga disp. 9. sect. 1. subsect. 2. num. 8. hæc habet *Fateor, non improbabilius dici posse eos (scilicet habitus) physice per actus intendi, in quo nec leue videtur absurdum.* Contra sententiam, quam satis insinuat Arriaga, tota reluctatur schola Theologorum, qui omnes docent habitus supernaturales neque produci physice ab actibus. Ita D. Thom. 1.2. q. 1. art. 4. & q. 55. art. 4. q. 1. & scum illo Caietan. Contr. Theod. & omnes Thomistæ: P. Soar lib. 8. de gratia. cap. 4. Salas 1. 2. tom. 1. tract. 11. disp. 6. sect. 9. Torres 2. 2. disput. 4. dub. 7. Hurtad. ibidem disp. 62. sect. 2. Ripald. lib. 3. de supern. disp. 51. sectione. 1. & alij plurimi apud illum. Quod adde certum putant Theologi, vt Medina oppositum temerarium esse affirmet, & N. Conink, esse con-

tra Tridentinum; monetque P. Soar lib. 8. de gratia. cap. 4. num. 17. in eodem gradu certitudinis potendam esse efficientiam actuum supernaturalium in habitibus per se infusos quoad intentionem, & primam productionem.

Plures rationes adducuntur, pro cōmuni sententia Theologorum, quas expendunt Ripalda, & Arriaga locis supracitatis. Illas omitto, quia sunt nimis Theologicæ, & affici ab actibus ex eo præcisè, quod nullum sit fundamentum, vt tribuamus actibus talem virtutem productiuam respectu habituum supernaturalium: Scimus enim habitus esse productiuos actuum, & nullum habemus fundamentum, ad asserendum, ipsos posse produci ab actibus: quorum ergo dicitur, actus, & habitus habere mutuò virtutem productiuam, se ad inuicem efficiendi.

Secundo: Quando actu potentie elicto ab homine iusto intenduntur omnes habitus infusi reliquarum virtutum, non omnes intenduntur physice ab illo actu, actus enim iustitiae non intendit habitum infusum temperantiæ, sed tantum ille posset physice intendi, qui respicit motiuum actus, à quo intenditur: ergo reliqui intenduntur meritorie: ergo simul ille habitus, circa cuius obiectum actu fuit elicitus, poterit moraliter intendi. Vltimò, quando actus ex motiuo honestus sit necessariò ab homine iusto, non intenduntur habitus infusi; quando fit liberè, intenduntur ergo non intenduntur physice, sed moraliter. Quia si physice intenduntur, eadem intentio procederet à substantia actus, & à libero, quia efficientia procederet à substantia actus, tanquam à virtute, necessariò operante: non à libertate illius, quæ nimis est extrinseca actui, ac proinde eadem esset ab eodem actu, siue liberè, siue necessariò productio.

Obicies primò. Actus supernaturalis est vltima dispositio ad habitum: sed vltima dispositio formæ illam efficienter producit: ergo actus supernaturalis producit supernaturalè habitum. Maior examinanda est à Theologia, quam si negent, vel dicant actum supernaturalem esse vltimam dispositionem ad habitum supernaturalem, nullum erit argumentum adductum: Quia non est de ratione dispositionis moralis physice producere formam, ad quam disponit. Si illum absolute concedant, minorem ego negabo: Quia non est de ratione dispositionis, ad huc vltimam formam, ad quam disponit, efficienter producere.

Obicies secundo: Si actus supernaturalis non produceret habitum supernaturalem, posset augeri habitus per actum remissiorem illo: sed non augetur: ergo quia physice ab actu producit. Resp. admissa maiori conditionali, posset negari minorem propositionem, in quo nullum est absurdum. Rectè enim, & consequenter ad omnia principia Theologica dicitur, habitum charitatis vt sex per nouum actum charitatis vt duo augeri in homine iusto.

Obicies tertio. Actus naturales producant habitum naturalem: ergo habitus supernaturales producant habitum supernaturalem. Resp. distinguendo antecedens: Actus naturales producant actum naturalem, necessariò requirunt ad substantiam actum, nego: conducentem ad facilitatem illorum, transeat: ergo actus supernaturales producant habitum supernaturalem, distinguo consequens: habitum supernaturalem infusum requirunt ad substantiam illorum, nego: acquisitum conducentem ad ipsorum facilitatem, transeat. Modò enim non disputo: an actus supernaturales producant habitum supernaturalem acquisitum: sed an producant habitum infusum, qui non datur respectu actum supernaturalem, ac proinde ex his non potest argumentum desumi ad præsentem difficultatem. De alia, quæ argumento attingitur; an videlicet, actus supernaturales producant habitum acquisitum supernaturalem dicam Puncto 7. postquam naturam acquisitorum habituum explicauerim.

PUNCTUM II.

An dentur habitus acquisiti in potentiis, à voluntate distinctis.

Maioris longè momenti sunt fundamenta, quæ reperiuntur, ad habitus acquisitos in voluntate colligendos, quàm in aliis potentiis, ideo speciale Punctum institutum.

de habitibus voluntatis, & in hoc de aliarum potentialium habitibus dicam.

§. I.

De potentiis materialibus.

2 **S**otus, Gabriel, & Ocham apud Soar disp. 44. sect. 2. n. 2. exiunt dari habitum in potentia locomotiva. Quia experimur visum, & exercitio facilius hominem currere, & saltare, citharamque motu digitorum pullare. Hæc ratio nullius est momenti, hæc enim facilitas potest consistere, ut docet idem Soar ibid. n. 5. in habitu voluntatis, quo facilius voluntas has actiones potentis externis imperat. Deinde ex dispositione passiva membrorum, quæ visu magis expeditur, non per qualitatem aliquam productam; sed per maiorem, vel minorem nexum, quem habent in ordine ad coniunctionem localem quæ fieri potest per attritionem aliquarum partium, vel indurationem eorum, quæ non causatur tantus dolor mutua eorum collisione.

3 Dicendum est, in potentia locomotiva nullum habitum reperiri. Ita Soar n. 2. cum D. Thoma & aliis. Quod probatur, quia potentia locomotiva est potentia necessaria, absque illa indifferentia suos actus eliciens; potentia autem necessaria non potest habere habitus. Cum enim semper producat, non potest habitus illam inclinare ad productionem actuum. Per se enim est determinata, ad producendum omne id, quod potest; potentia autem determinata per suam essentiam non potest inclinari ad id, ad quod est iam determinata. Nullam enim efficaciam potest habere, neque vim effectum potest prestare habitus ex se inclinans respectu potentie non tantum inclinaret, sed etiam determinaret.

4 Dicendum est secundo, sensus externos non posse habere habitum acquisitum propter eandem rationem. Quotiescumque enim potentia externa est potens, per speciem actum producere, illum in quantum potest producit, ad cuius productionem potentia ex se intrinsecam inclinationem habet.

5 Obicit Arriaga: habitum posse, potentiam necessariam adiuuare, ut facilius, hoc est, minori conatu effectum producat, ac proinde rectam non esse hanc rationationem, *est potentia necessaria: ergo non est capax habitus*. Hæc obiectio nihil præstat. Quia effectus habitus non est tantum adiuuare potentiam, ut minori conatu effectum producat; sed illam inclinare, ad effectum producendum, illamque alligere, ut effectum producat. Hoc enim est munus habitus, non ut effectus minori conatu producat, quia hoc prouenit ex maiori virtute agentis, & ex multitudine agentium, est eiisdem ordinis: Duo enim homines minori conatu portant lapidem coniuncti, quam unus eorundem lapidem portaret.

6 Ex hoc infertur: nullum sensum externum indigere habitibus, neque illos habere posse ad productionem suarum sensationum, quas ita elicit, ut non possit, semel in actu primo ad illas constitutus eas non elicere.

7 Infertur similiter, in sensu interno, neque in appetitu brutorum non dari habitus distinctos ab speciebus impressis, & phantasmatis: ita Soar sect. 3. n. 3. Ratio est. Quia sensationes internæ necessarii producuntur à sensu interno speciebus instructo, quæ sensationes internæ, seu phantasmata determinant actus appetitus. Quia bruta in omnibus suis actionibus determinantur ad vnum ex vi obiectorum, pro ut illis representantur.

8 Obicit: In brutis experimur facilitatem acquisitam ad aliquos actus. Saepè enim repetito exercitio alicuius motus, quem difficile præstabant, illum postea facile exercent, quam facilitatem non acquirunt in externis sensibus: ergo præter species dantur in sensu brutorum aliqui habitus. Respondeo bruta facilitatem acquirere ad illa, quæ saepè exercuere: Quia exercitio præterito species retinent in sensu interno, quibus obiectum præteritum melius agnoscunt, & facilius appetunt, quod fit sine aliis habitibus: in sensibus autem externis hanc facilitatem non acquirunt, quia in illis nullæ remanent species præteritorum actuum.

9 De hominis cogitativa aliter philosophatur Soar n. 6. exiunt enim dari in hac habitum distinctum ab speciebus dantem facilitatem, & inclinantem potentiam, ad operandum. Quia hominis cogitativa non est ita simpliciter determinata ad vnum sicut phantasia bruti, quia potest ex

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I. I.

rationis imperio moueri, & determinari ad operandum. Nihilominus dicendum est, cogitativam, seu sensum internum hominis nullum habere habitum distinctum ab specie, quia indifferentia, quam habet derivatam à voluntate, non sufficit, ut respectu illius habitus contrahatur. Quod constabit ex dicendis §. sequenti, ubi probabo intellectum non habere habitum distinctum ab speciebus, qui non immediatius participat hanc indifferentiam à voluntate, quam cogitativa, seu internus sensus.

§. II.

De habitibus intellectus.

10 **P** Soar sect. 4. n. 3. docet cum Caietano, Capreolo, Soncinato, & aliis Thomistis: in intellectu dari habitus distinctos ab speciebus. Magis placet opposita sententia, negans habitus distinctos ab speciebus existentes in intellectu. Quam defendunt Hurtad. disp. 16. sect. 2. & Arriaga disp. 9. sect. 1. subsect. 1. & alij ex antiquis apud Soar supra. Hæc sententia probatur ex fundamento facto §. precedenti. Intellectus est potentia necessaria: ergo non indiget habitu, ut inclinetur in proprios actus, quam rationem iam explico, & expendo.

11 Intellectus, posita specie sufficiente ad apprehensionem obiecti, necessario illud apprehendit absque illa indifferentia, sicut potentia visiva, posita specie, necessario videt obiectum: ergo in ordine ad apprehensiones non indiget intellectus habitibus, quod concedunt auctores oppositæ sententiæ, qui illos tantum pro aliis operationibus contrahunt, ad quas adhuc non esse necessarios, sic probo. Obiectum vel apprehenditur euidenter ut verum, vel tantum probabiliter: si euidenter ut verum, non potest non intellectus illi assentiri. Si probabiliter, tota indifferentia intellectus ad assentiendum, vel non assentiendum determinatur à voluntate: ergo intellectus non indiget habitu ut se determinet. Quod sic explico. Proposito obiecto ut probabiliter intellectus, non potest intellectus sine imperio voluntatis assentiri quantumvis aliis habitibus instruat, & ideo ad actus fidei, quorum obiecta non representantur euidenter ut vera, requiritur prius affectus voluntatis; deinde, posito imperio voluntatis intellectus non potest non assentiri obiecto proposito, ut probabiliter: ergo tota determinatio intellectus respectu obiectorum, ad quorum assensum est indifferens, est penes imperium voluntatis: ergo ille non indiget habitu, ut se determinet, quia semper operatur, vel omnino necessario, si obiectum proponitur euidenter ut verum, vel determinatus à voluntate, quando obiectum ut probabile representatur. Obiectum, ut probabile appello, quod representatur motuuo sufficienti, ut versetur assensus circa illud, siue hoc sit relectio humana hominis fide digni, siue diuina. Idem, quod dixi de obiecto representato, ut toto respectu assensus, assero de obiecto representato, ut falso respectu dissensus. Eadem doctrina intelligenda est de assensu primorum principiorum probabilium, & euidentium per apprehensionem, quæ probabiliter, & euidenter proponuntur, & de assensu discursiuo conclusionis euidenti, & probabiliter per præmissas probabiles, vel euidentes.

12 Obicit Soar. Obiectum aliquando non sufficienter determinat intellectum ad actus: ergo pro his actibus indiget habitibus. Nego consequentiam. Quia intellectus in his actibus non determinatur à se sed à voluntate, & ita non indiget determinatio proprio, sed sufficit illi imperium voluntatis, ut determinetur.

13 Obicit. 2. Habitibus quidam dicuntur practici, alij speculativi, alij virtutes, alij facultates, sed hæ denominationes non possunt convenire speciebus: ergo dantur alij habitus, ab speciebus distincti, quibus hæ denominationes conveniant. Nego minorem. Species enim, quæ inclinant in actum practicum, practica dicuntur, & speculativa, quæ inclinant in actum speculativum, similiter quæ inclinant ad actus scientiæ dicuntur habitus scientifici, & quæ ad prudentiæ actus, habitus prudentiæ dicuntur.

14 Obicit. 3. Habitibus producantur ab actibus: sed species non producantur ab actibus: ergo species distinguuntur ab habitibus. Nego minorem. Quia actus intellectus relinquunt suam memoriam, & speciem representativam, tum ipsorum actuum, tum obiectorum representatorum per actus, unde quod magis repetuntur actus circa idem obiectum,

R 2 eo

eo plures, & intensiores species obiecti sunt in intellectu, & facilius percipitur, quia specierum intensio maximopere conducit, ad cognitionem facilius eliciendam.

- 14 Ultimo noto, intellectum non solum faciliorem reddi per repetitionem actuum, ad alios similes eliciendos; sed etiam per multitudinem cognitionum, seu specierum diuerforum obiectorum, etiam reddi aptiorem ad cognoscenda alia obiecta, distincta ab his, quorum species habet. Ratio est. Quia, cum intellectus inferat vnum ex alio, quo plura principia habet, eo plures conclusiones potest inferre ex illis, & ideo homines docti circa varia obiecta facile circa quodcumque aliud, denuo propositum discunt. Quia iuuantur variis notitiis, tum propter connexionem obiectorum, tum propter paritatem, & proportionem eandem in diuersis obiectis illarum ad sua principia.

PUNCTUM III.

An dentur habitus in voluntate.

- 1 Tenet communis sententia dari habitus acquisitos in voluntate, distinctos ab speciebus, & cognitionibus, proponentibus obiectum. Lego apud Arriag. disp. 9. sect. 3. sub. l. n. 43. duos, vel tres recentiores a voluntate habitus relegasse, docuisseque: facilitatem voluntatis ad suos actus consistere in cognitione intensa bonitatis obiecti. Et P. Lugo de incar. disp. 16. sect. 7. n. 119. ait insinuasse in libris de anima: habitus acquisitos potentie voluntatis consistere in recta ordinatione specierum, & experientia actuum praeteriorum, & emolumentum subsequenti ex illis. Quod postea testatur: aliquos recentiores docuisse, & ipse aperte defendit loco citato. In eandem sententiam conspirant, nonnulli recentiores.

§. I.

Fundamentum recentiorum pro sententia negante habitus voluntatis distinctos a cognitione obiecti, refellitur.

- 2 Fundamentum, quod ex recentioribus refert Arriaga, ad relegandos habitus, distinctos ab speciebus, & cognitione obiecti, nullius est ponderis. Illius rationes breuiter refello.
- 3 Arguunt primo. Actus supernaturales non producant habitus acquisitos; ergo neque naturales. Antecedens huius argumenti est valde dubium, & multi illius oppositum ex opposito consequentis inferunt, arguentes: actus naturales producant habitus acquisitos; ergo & supernaturales. Cur autem naturales actus producant habitus naturales, & supernaturales non illos supernaturales producant, dicam Punct. 7. Neque ratione formae argumentum vim habet. Haec enim est inepta consequentia: Homo potest producere alium hominem; ergo lignum potest aliud lignum producere. Ex his infero: hoc argumentum nullam vim habere pro recentiorum sententia; potest tamen efficax esse ad hominem desumptum contra eos, qui nouam facilitatem concedunt ad actus supernaturales sine nouo habitu. Qua ratione illud postea expendam.
- 4 Arguunt secundo recentiores: Voluntas nequit ferri in incognitum; sed si daretur habitus, ferretur in incognitum secundum illum excessum inclinationis prouenientis ab habitu; ergo non dantur tales habitus. Hoc argumentum potest retorqueri in recentiores, constituentes facilitatem, & inclinationem ad obiectum in ipsa cognitione; Quia si cuti voluntas non cognosceret habitum inclinantem, si daretur, ita non semper cognosceret cognitionem, qua in obiectum propenderet. Quod si aliquando illam cognoscat, haec cognitio impertinens est ad amorem obiecti, quia ad hunc tantum trahit cognitio bonitatis obiecti; non vero cognitio reflexa cognitionis, qua obiectum cognoscitur; ergo eadem ratione diceretur obiectum ferri in obiectum incognitum secundum rationem propensionis, quam habet in illud, siue propensio a cognitione, siue ab habitu alio procedat; ideoque in omnium sententia hoc argumentum soluendum est. Quod facile praesto. Respondeo: Ad amorem obiecti requiri cognitionem, tendentem in ipsum obiectum, & in illius bonitatem; non vero in propensionem, quam voluntas habet ad obiectum, ac proinde eo ipso quod

voluntas feratur in obiectum, bonitas illi propensa est per cognitionem, fertur in obiectum cognitum per amorem illius; quia amor non tendit in propensionem, sed in obiectum, quod amat, & cognitione proponitur, ut bonum.

Arguunt tertio: Facilitas, quam habet voluntas, ad amandum aliquod obiectum, non potest prouenire ab habitu; si daretur habitus in voluntate. Antecedens probatur: si facilitas proueniret ab habitu, quotiescunque est habitus, voluntas illam facultatem sentiret, eandemque sentiret ante ipsum actum experiretur; sed sic est, quod voluntas aliquando sentit hanc facilitatem; aliquando non ergo non consistit in habitu, permanente in ipsa voluntate; sed in cognitione, quae aliquando adest, & aliquando abest. Respondeo, illam facilitatem, etiam si ab habitu procederet, posse sentiri aliquando, & aliquando non; aliquando ante ipsum actum, aliquando tantum in instanti, in quo est actus. Ratio praesto adest. Voluntas dependet in operari cognitione, ita ut sine hac operari nequeat. Ex quo fit, voluntatem, non habentem cognitionem obiecti, non inclinari ad illud, donec illam habeat, & potens fit sentire illud: Sicuti physica praedeterminatio, quae non solum inclinatur, sed determinat voluntatem carentem cognitione. Illius enim formalis effectus est determinare voluntatem ad actum, quem potest elicere; sic effectus formalis habitus est inclinare voluntatem ad actum, ad quem alias supponitur potens. Ex hoc fit voluntatem aliquando sentire inclinationem ad actum ante ipsum actum, aliquando tantum in ipso instanti in quo exercetur, quia aliquando cognitio obiecti tempore praecedit; aliquando vero in eadem mensura temporis coexistunt.

Arguunt quarto: Habitibus superadditi non sunt necessarij, ut voluntas facile prosequatur obiectum; ergo non sunt dandi habitus in voluntate. Antecedens exigitur ad huius probationem explanationem modi, quo voluntas, antea difficilis ad obiectum amandum sine nouo habitu facili constituebatur. Quam si recentiores exhiberem, illorum argumentum efficax esset; dum tamen ab illis non praestatur, non possumus ipsorum rationi acquiescere.

Ultimo, si horum recentiorum sententia apud ipsos maiorem explanationem non habet, quam ex ipsis refert Arriaga, facile reicitur; quia potest quis valde intempestive, atque viuacem cogitationem habere de aliquo obiecto, & non habere inclinationem, & facilitatem ad illud amore prosequendum; ergo facilitas, & inclinatio non consistit in cognitione intensa, atque viuaci bonitatis, seu delectabilitatis obiecti. Antecedens patet in homine timorata conscientiae, qui vehementi cogitatione representante delectabilitatem obiecti pulsatur; & nihilominus magnam sentit difficultatem in illius prosecutione, ne gratiam perdat, seque aeternae poenae periculo exponat. Dedumque grauitur offendat.

§. II.

Explicatur modus, quo posset defendi non distinctio habitus voluntatis a cognitione obiecti, & speciemus.

Placet modum quemdam exponere, quo existimo haud difficile posse defendi, non dari habitus voluntatis inherentes, sed facilitatem illius totam ad actus intellectus, & illius species reducendam esse. Quod sic explicet: Voluntas constituitur potens amare obiectum per cognitionem, qua illi representatur ut bonum, & per negationem impedimenti ad talem actum, & praedestinationis ad oppositum independentem a voluntate; quia, si potentia sit impedita, quantumuis obiectum proponatur ut bonum, non poterit illud amare; quae cognitio est attractiua voluntatis ad amorem talis obiecti, & eo magis attrahit, quo obiectum apparet magis bonum, hoc autem, quod est apparere magis bonum aliquando se tenet ex parte obiecti, quia maior bonitas representatur in obiecto, & maior convenientia illius in ordine ad subiectum, aliquando ex parte actus, quia eadem bonitas, & eadem convenientia obiectiuius viuacius apparet per cognitionem magis efficacem viuaciori modo voluntatem allicientem.

Voluntas iam constituta potens amare obiectum modo supra explicato, constituitur potens, illud non amare, per aliam cognitionem, ex feretardantem ab amore talis obiecti, vel inclinantem voluntatem in actum oppositum ad talem amorem; quae cognitio similiter constituit voluntatem potentem

potentem non amare, & potentem, actum oppositum amori eliceret per se ipsam, & per negationem prædeterminationis ad actum amoris, vel negationem actus oppositi. Eodem enim modo voluntas attrahitur per cognitionem bonitatis, & conuenientie ad amorem, quam per cognitionem malitiae, & disconuenientie ad odium.

10 Voluntas iam constituta potens amare, & potens non amare, seu odio habere, ita per hanc cognitionem trahitur ad amorem, ut per eandem retrahatur ab odio, & à negatione amoris, quæ cum amore opponuntur, & quo magis attrahitur ad amorem magis ab odio retrahitur, similiter per cognitionem, quæ trahitur ad odium retrahitur ab amore, & quò magis ad odiù trahitur, magis retrahitur ab amore.

11 Hæc certa sunt in omnium sententia. Deinde suppono, quod nullus negare potest, videlicet, voluntatem facilius ferri in illud obiectum, in quò magis trahitur per cognitionem bonitatis illius; & à quo minus retrahitur per aliam cognitionem, inclinante in actum oppositum, seu in negationem actus, ad quem trahitur. Ratio est, quia tota ratio, propter quam voluntas liberè fertur, & inclinatur in obiectum est, quia trahitur bonitate illius: ergo, quò magis trahatur, siue quia maior bonitas apparet, siue quia eadem viuacius proponitur, facilius feretur in obiectum in quò magis trahitur. Deinde certum est, quamlibet causâ facilius in effectum proflire, quò minus talis effectus impeditur: impedimentum enim difficultatem affert, quæ si vincatur, non sine aliqua difficultate, & maiori conatu vincens sit: ergo voluntas, quò magis excitatur ad amorem, & minus ab illo retrahitur, facilius in amorem prorumpet.

12 Ex his infero voluntatem hanc, & nunc faciliorem esse ad amorem, quàm ad odium, consistere in eo, quod magis trahatur ad amorem, quàm ad odium, & consequenter minus retrahatur ab amore, quàm ab odio. Hoc autem, quod est, voluntatem magis attrahi ad amorem, non consistit semper in intensiori cognitione, ut dicebam supra, sed aliquando in intensiore, seu viuaciori cognitione eiusdem bonitatis, aliquando in maiori bono, seu maiori conuenientia proposita. Ex his enim duobus capitibus pensanda est maior, vel minor excitatio ad amorem. Magis enim attrahi ad amorem, quàm ad odium, duo dicit, & positiua attractionem ad amorem, & negationem attractionis ad odium per cognitionem, æquè viuaciter, & æquè disconuenientiam proponentem voluntati. Vnde facilis hic, & nunc ad hunc actum consistit in positiua attractione ad illum, & negatione æqualis attractionis ad actum oppositum, vel negationem illius, quod sic probò. Facilius voluntatem ferri in obiectum, est magis trahi ad illud, & minus retrahi ab illo, sed voluntatem magis trahi ad obiectum, & minus retrahi ab eodem, consistit in positiua cognitione, & negatione cogitationis inclinantis ad oppositum: ergo facilius voluntatem ferri in obiectum consistit in positiua, & negatiua, supra explicata.

13 Restat modò explicare quomodo hæc facilitas constituta in cogitatione inclinante ad actum, & negatione cogitationis retrahentis ab eodem actu, possit intendi per repetitionem actuum. Quo explicato, rectè intelliges, quomodo sine aliis habitibus voluntas sit facilis ad obiecta, & illorum habitus non distinguantur à cogitatione prædictâ, & negatione cogitationis appositæ. Quod sic explico. Actus, quo voluntas fertur in obiectum, delectabile, v.g. relinquit speciem sui, & obiecti delectabilis, quo fit, ut postea intellectus per species relictas, huius actus, & per species, quas antea habebat, viuacius percipiat obiectum delectabile. Habet enim modò experimentales species dulcedinis obiecti, quas antea non habebat, & ita obiectum proponitur, ut magis conueniens per cognitionem illud viuacius representantem, utpote ortam ex principiis, quæ antea non erant, & aliquando simul per maiorem conuenientiam obiectum. Quia sæpe non tantum sibi delectabilitatem proposuerat, homo, ad amplectendum primo actu obiectum delectabile, quantum eodem actu est expertus, & sibi postea proponit, ad illud secundo actu amplectendum. Deinde, eo ipso, quod secundo actu obiectum delectabile proponatur, ut magis conueniens, & per cognitionem, magis intensam, obiectum oppositum remissius proponitur. Quia intellectus raptus intensiori cogitatione obiecti delectabilis, utpote virtutis finitæ, est minus potens attendere ad obiectum oppositum.

14 Hanc esse rationem, propter quam voluntas auidius fertur secundo actu, quàm primo in obiectum, & quò magis

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I I.

fertur in illud, facilius illud amplectitur, ex eo probatur, quia non semper ita contingit, quod planè contingeret, si hoc haberet ratione habitus relictæ ab actu, qui semper relinqueretur, & semper magis potentiam inclinaret. Non semper ita contingere sic probò. Quoties quis magnam voluptatem apprehendit in obiecto, quod nunquam est expertus, illud auidè amplecti desiderat; postea verò, si illud minus delectabile experitur quàm illud conceperat, frigidius illud appetit; & tandem experientia suadet, nullam in eo reperiri delectabilitatem, & quò magis illud amplectitur, minus illud desiderat, quovisque tandem illud positiue abhorret.

De obiecto vtili omnino eodem modo philosophandum est, experientia enim utilitatis amoris alicuius medijs illius utilitatem viuacius apprehendimus, & facilius voluntate in illam ferimur. De obiecto honesto eodem modo dicendum puto. Experitur enim quis in actu honesto bonitatem maximam requiem animæ, & conscientie tranquillitatem, quæ iuge coniuiuium appellatur, *Proverb. 15.* Deinde ipsa experientia obiectum oppositum minus retardat ut plurimum voluntatem in actu secundo, quàm in primo ab actu honesto: cum enim quis sibi proponit ieiunium amplectendum, statim se offerit plures rationes, quæ à ieiunio retardant: putat enim quis fame periturum, vel grauissimum incommodum perpeffurum esse; postea verò cum ieiunauit, & expertus est, non ita inedia hominem affligi, non ita disconueniens apparet, ac proinde minus retrahitur voluntas à ieiunio, & actibus temperantia, & facilius se illis exercet.

Fateor aliquando maius incommodum temporaneum nos experiri in actu honesto, quàm nobis proposueramus, antequàm primo actu illud amplexati fuissimus, & tunc ex hoc capite difficilius apprehenditur bonum secundo actu, quàm primo, ni forsan experientia honestatis, & bonorum, quæ ex actu illius sequuntur, tanta sit, ut possit maiorem disconuenientiam in illa repertam supplere.

Secundùm hunc dicendi modum facillè videtur defendi posse, non dari habitus in voluntate distinctos à cognitione obiectorum, & eorum speciebus propter rationem, supra dictam quam paucis colligo. Nullus habitus est necessarius, distinctus à cognitione obiecti, & specie illius, ut voluntas sit facilis, ad illud amandum: ergo non est ponendus: probatur antecedens: præcisè per cognitionem obiecti boni inuitantis voluntatem ad amorem, & negationem alijs cognitionis, magis retrahentis voluntatem ab ipso amore, vel inuitantis ad oppositum, voluntas est facilis ad amorem: ergo non est necessarius habitus alijs distinctus. Secundò probatur, quia quò magis voluntas trahitur ad amorem obiecti ed facilius fertur in illud, & est magis propensa ad illius amorem, sed quò maior est cognitio inuitans, & minor retardans, voluntas magis trahitur ad amandum obiectum: ergo facilius feretur in illud actu amoris: quia, sicut cognitio boni inclinât ad amorem maior cognitio, siue ex parte actus, quia est intensior, & viuacior, siue ex parte obiecti, quia tendit in maius bonum, magis inclinabit voluntatem ad amorem: voluntas autem, quò magis est inclinata ad amorem facilius in illum prorumpet: idem dico de cognitione mali respectu odij, seu displicentia.

Tertio arguo. Aliquando voluntas est facilior, ad amandum obiectum primo actu, quàm secundo, & eo difficilius illud amplectitur, quò pluries illud apprehendit, ut dicebam supra: ergo facilitas non prouenit ex aliqua qualitate producta ex repetitione actuum, sed ex cognitione maioris boni, quæ potest omnes actus præcedere.

Quarto à posteriori ex præcedenti doctrina sic arguo: voluntas ex repetitione actuum aliquando maiorem difficultatem acquirit, quàm antea habebat in exercitio illorum: ergo, sicut quando acquirit facilitatem dicitur actus præteritos produxisse qualitatem quamdam, seu habitum, quo voluntas facilius exequitur alios actus similes prioribus, ita, quando acquirit difficultatem, dicitur præcedentes actus reliquisse qualitatem aliam, quæ voluntas difficilius alios similes exercet; quia voluntas secundum se non habebat talem difficultatem, ut patet in prioribus actibus. Quod si noua difficultas tantum consistit in notitia experientiali, cur in eadem non poterit etiam consistere noua facilitas?

Quinto arguo iuxta communem sententiam, quam tenet Soar supra. In appetitu brutorum non dantur habitus; &

R 3 tamen

tamen videmus, bruta facilius appetere obiectum iucundum, quod pluries illud sentire: ergo eodem modo potest de voluntate philosophari: si enim in bruto memoria actus præteriti sufficiens est, ut facilius, & iucundè loca quærat, & obiecta appetat, quæ sibi commoda, & grata sunt, ut est expertum, & ut fugiat locum, in quo semel cecidit, vel aliquid mali euenit, & ut abhorreat herbam, quæ semel nociuam inuenit, cur in homine, cuius intellectus memoria est lōgè excellentior, actus memoriæ, seu notitia circa bonitatem obiecti non erit sufficiens, ut voluntas facilius, & citius illud appetat; & eadem notitia circa malitiam non voluntatem retardabit, ut tardius, & difficilius in obiectum feratur?

20 Sexto efficacissimè ad hominem contra P. Vasquez probos, hos habitus non esse necessarios. Asserit enim sapientissimus Pater 1.2. disp. 79. n. 47. assuetudine actuum supernaturalium species in dies facilitare potentiam ad similes actus, sine aliis habitibus acquisitis: ergo eodem prorsus modo dici potest assuetudine actuum naturalium species facilitare potentiam ad actus similes naturales, sine nouis habitibus.

21 Septimò idem argumento efficacissimè insto etiam ad hominem contra P. Soar. Docet Soar sect. 11. n. 42. voluntatem eodem habitu instructam posse habere maiorem facilitatem ad actus virtutis in hac materia potius, quàm in illa, quin hæc facilitas proueniat ab habitu; sed ab aliis causis, quas ipse assignat, videlicet, ex meliori dispositione intellectus, vel aliarum potentialium, seu organorum, quæ virtuti deseruiunt, & ex consuetudine exercendi actus virtutis in hac materia, ex qua prouenit, ut species intellectuales facilius eam proponant, quia memoria præteritæ experientie, & consuetudinis non parum iuuat, ut obiectum statim proponatur ut connaturale, & appetendum, & ex phantasia, quæ propositioni obiecti deseruit. Tandem ex ipsa dispositione corporis, quia, etiamsi quis sit propensus ad poenitentiam, facilius eam exercebit ieiuniis, quàm flagellis, si in illis est consuetus, & non in his; quod, ait Soar, non ex habitu poenitentiae, sed ex ipsa corporis dispositione, & imaginatione procedere. Ex quo sic arguo. Sine nouo habitu admittit Soar nouam facilitatem: ergo facilitas non oritur necessariò ab habitibus; sed à causis, supra assignatis: ergo habitus nullo modo sunt necessarij, neque possunt inferri ex facilitate potentiae, quia facilitas potest tribui causis, ab ipso Soar assignatis.

22 Octauò. Hæc sententia suaderi potest, quia secundum illam faciliè intelligitur, quomodo habitus in cognitione, & speciebus consistentes reddant potentiam facilem: & in quo genere concurrant: quomodo intendantur, & minuantur: quomodo vniantur: & quam habeant vnitatem; quomodo producantur, & corrumpantur. Quæ omnia secundum hanc sententiam difficultate omnino carent, & in opinione sententiae admittentis habitus distinctos à cognitione, & speciebus, vix percipi possunt. Vide quæ dicam Punct. 4. ubi de modo, quo in aliorum sententia habitus concurrant ad actus, qui vix possit explicari. Ex quo argumentum desumes, ad hanc sententiam abigendam.

§. III.

Argumenta soluta.

23 Neque difficile est, respondere argumentis, quæ probant admittendos esse habitus distinctos à cognitione, & speciebus, ut ex solutione illorum constabit. Arguit Arriaga. Potest alicui proponi obiectum, ut bonum physicè, in quo nullam timet difficultatem, neque rationem mali apprehendit præter offensam Dei: v. g. in comedendo cibo prohibito, permanente cognitione eiusdem bonitatis physice & malitiæ moralis, v. g. offensæ Dei; quo quis magis se exercet in comedendo cibo prohibito, est facilius in illo appetendo: ergo hæc facilitas non potest prouenire ex cognitione, neque ex speciebus obiecti. Respondeo negando antecedens: quia, cum quis per comestionem cibi prohibiti facilius est, in illo appetendo, non habet eandem cognitionem obiecti. Quia, licet forsan ex parte obiecti eandem malitiam, & bonitatem cognoscat, bonitas physica intensius, & viuacius proponitur per nouas species, quas experientia actus præteriti relinquit, & consequenter remissiùs cognoscitur malitia moralis: quia, ut dicebam supra, raptus intellectus intensiore cognitione physice bonitatis est minus expeditus, utpote virtutis finitæ ad cognitionem malitiæ moralis, & aliis cuiuscumque obiecti.

Ideo ex experientia sæpe maiorem conuenientiam physicam, hoc est, maiorem delectabilitatem in comestione cibi prohibiti potest detegere, quàm apprehensione obiecti non experti voluntati proposita.

Neque obici potest contra sententiam istam, quod contra ex illa Christum habitum habitum vitiosum ex eo, quod habeat perfectissimam cognitionem obiecti delectabilis, & peccaminosi: quia ego non constituo habitum præcise in hac cognitione: sed in cognitione bonitatis, quæ trahit voluntatem ad amandum obiectum, & in negatione alius cognitionis, quæ magis retrahat eandem voluntatem ad eodem obiecto. Christus autem cognitione delectabilitatis obiecti peccaminosi non trahitur ad illam amandum, quia non potest obiectum peccaminosum amare actu elicitò, si per impossibile concipiamus ipsum trahi, & inclinari ad peccatum, non ex eo inferitur, habere habitum vitiosum, quia intensius, & efficacius proponitur obiectum oppositum peccato; quia Christus rem perfectè callens, maiorem conuenientiam ex parte obiecti, & ex parte modi percipit semper in negatione peccati, quàm in peccato: imò Christus non minorem conuenientiam obiecti, adhuc physicè percipit in obiecto delectabili, quàm homines, quia Christus rem cognoscit, sicuti est, ac proinde cognoscit conuenientiam physicam obiecti delectabilis esse caducam, & non posse appetitum satiare; homo autem illam sibi representat longè maiorem ac est. Apprehendit enim in obiecto delectabili conuenientiam quæ caret, & sæpe existimat prosecutione illius appetitum esse sedandum. Rem cape vno verbo. Habitus & facilitas semper dicuntur cognitionem practicam obiecti: Christus verò, utpote impeccabilis non habuit cognitionem practicam peccati, ac proinde habere non potuit peccaminosum habitum.

Obiic. hanc sententiam de medio tollere virtutes morales acquisitas. Respondeo, hanc sententiam non tollere virtutes morales acquisitas, sed eas constituere in speciebus, & actibus intellectus, sicut Soar, & alij virtutes intellectuales constituent, in quo nullum est inconueniens.

Obiic. insuper sequi ex hac sententia: dari habitum constitutum in cognitione, & speciebus ante omnem actum, ac proinde habitus generari haudquaquam ex actibus. Antecedens probatur. Ante omnem actum potest esse voluntas facilis in prosecutione alicuius obiecti, si illi proponatur maior conuenientia, quàm disconuenientia: quod sæpe concessimus. Respondeo ante omnem actum posse voluntatem, habere hanc facilitatem; non tamen dicendam esse habitum, quia ante repetitionem actuum illa facilitas est faciliè mobilis à subiecto: quia, si experientia aliter inueniatur obiectum, quàm est apprehensum, cessabit illa facilitas: si verò obiectum experientia comprobetur, ut primò fuit apprehensum, illa facilitas magis radicabitur, & difficilius poterit à subiecto dimoueri, & habitus dicetur.

§. IV.

Nonnulla ad præcedentem opinionem spectantia explicantur.

24 Secundum modum supra datum tota facilitas ad aliquem actum formaliter consistit in cognitione practica experimentalis, proponente obiectum, & in negatione cognitionis, retrahentis ab hoc obiecto: quia tamen cognitio quælibet est faciliè transiens, & formaliter sumpta regulariter non diu durat, non in hac cognitione poni totam rationem habitus congruum est; quia semper habitum vocamus id quod difficilè mouetur à subiecto, & ex natura sua est diu durans. Duplicem facilitatem distinguo, formalem vnam, radicalem aliam. Facilitas formalis consistit in cognitione modò explicata, & negatione alterius cognitionis. Facilitas radicalis in speciebus experientie acquisitis, ex quibus oritur hæc experimentalis cognitio, inuitans ad obiectum, & in negatione aliarum specierum experientie acquisitarum, à quibus oriretur cognitio, quæ maiorem bonitatem proponeret in obiecto opposito, & viuacius illius conuenientiam representaret, fortiusque retraheret ab hoc obiecto, ad quod inuitat hæc cognitio. Ex his facilitatibus potiori iure radicalis rationem habitus sortitur, quia est difficilè mobilis, & diu durans.

25 Ex hoc inferes: posse aliquem hominem actu esse facilem ad aliquod obiectum amplectendum, & non habere habitum

habitu ad illum; quia potest habere cognitionem aliquam non experimentalem, quā vehementer trahatur ad illud, ex vi cuius ita facilis sit ad illud amplectendum, ut difficile possit ab illo remoueri; & tunc talis homo non habebit habitum, quia non habebit facilitatem radicalem, neque formalem ortam ex illa. Quod verum existimo, etiam in opinione, quæ habitus constituit in qualitatibus distinctis ab speciebus, & cognitionibus. Quia negari nequit sæpe hominem habentem habitum acquisitum alicuius virtutis, ita vehementer aliquā tentatione circa oppositum vitium concuti, ut summā facilitate in illud possit labi, & non sine magna difficultate, & speciali Dei auxilio possit non cedere tentationi.

29 Ex hoc infero posse hominem esse simul facilem formaliter, & radicaliter ad duo obiecta opposita, licet non in summo gradu. Partem positivam sic probō. Potest homo in utroque obiecto convenientiam notabilem, & parum disconvenientiam reperire, & in neutro illorum non notabilem excessum convenientiæ cognoscere, ratione cuius alterum magis conveniens retrahat ab hoc minus convenienti; ergo potest esse facilis ad utrumque obiectum. Probo consequentiam: Cognitionis, proponens bonitatem obiecti per se reddit facilem potentiam ad illud amplectendum, dum non est alia quæ notabiliter fortius retrahat; sed in hoc casu sunt cognitiones representantes bonitates utriusque obiecti, & neutra habet aliam oppositam, quæ fortius retrahat: ergo utraque constituet facilem potentiam circa suum obiectum. Hæ cognitiones, in quibus formales facilitates consistunt, possunt oriri ex speciebus experimentalibus, in quibus sita erit facilitas radicalis, & ratio habitus. Has facilitates esse nō posse in summo gradu, sic probō. Quod minor convenientia apparet in aliquo obiecto, cæteris paribus maior est facilitas ad oppositum: v.g. habeo cognitionem ut quatuor representantem mihi convenientiam ut quatuor in ieiunio: quod minor convenientia apparet in esu carniū, facilius ero ad ieiunandum: ergo quando utrumque obiectum apparet æquē bonum, v.g. ieiunium, & comestio, non habeo tantam facilitatem in ieiunio, quantum habere in ieiunio mihi representaretur, ut si non cum maiori bonitate, cum illa tamen, dummodō comestio representaretur cum minori: ergo non habeo summam facilitatem, quam possum habere.

30 Dixi facilitatem dicere cognitionem invitantem ad obiectum, & negationem cognitionis, quæ ex se notabiliter fortius retrahat, quā alia inquit, quia negatio illius cognitionis necessarii requiritur, ut potentia constitutur facilis; conducit tamen ad maiorem facilitatem, non solum negatio cognitionis, retrahentis notabiliter fortius; sed cuiuscumque retrahentis supra minimum requisitum, ut potentia sit libera; quia semel constituta voluntas libera circa aliquod obiectum, dum minus habeat cogitationis, retrahentis ab illo, facilius erit ad illud amplectendum. Negatio verō cogitationis retrahentis secundum minimum, quod requiritur, non conducit ad facilitatem: quia facilitas pertinet ad habitum, supponit libertatem; illa verō negatio destrueret libertatem, & consequenter fundamentum facilitatis, de qua agimus.

31 Est etiam notandum, eandem cognitionem intensam, v.g. ut sex pertinere ad constitutum potentie liberæ, & ad facilitatem, & dare simpliciter posse, & facilius posse. Dat simpliciter posse, quatenus includit intensiorem illam minimum requisitam, ut voluntas sit simpliciter potens liberè operari, v.g. quatenus includit duos gradus intensiōis, & dat facilius posse, quatenus includit quatuor alios supra duos necessariō requisitos, ad operandum. Neque in illa cognitione poterunt assignari duo gradus, quibus determinatè pertineat simpliciter posse, & alij quatuor, quibus facilitas tribuatur, quia omnes sunt eiusdem rationis, sed toti illi cognitioni tribuitur dare posse, & facilius posse, quia habet id, quod requiritur, ut voluntas sit libera, & aliquid ultra illud.

32 Noto insuper distingui facilitatem ad actus intellectus, & ad actus voluntatis ex eo, quod species intellectus nunquam pertineant ad facilitatem formalem voluntatis; pertinent tamen ad facilitatem intellectus, quia immediatè produciunt intellectiōes, quæ præ multitudine illarum faciles evadunt. Facilitas voluntatis semper consistit in cognitionibus, quæ aliquando etiam pertinent ad facilitatem formalem intellectus, quia aliquando conducit immediatè, ut facilius fiat cognitio, alia cognitio vel immediatè in-

fluens in illam, vel saltem proponens obiectum formale illius viaciū, quā necessum erat ut intellectus posset ferri in illud. Adde: aliquando etiam actus voluntatis conducere ad facilitatem formalem aliorum actuum eiusdem potentie, quia, quando actus voluntatis procedit liberè ab alio imperante, sine quo fieri posset talis actus imperans, pertinet ad facilitatem illius. Absolutè enim omne principium, invitans ad actum liberum, sine quo idemmet actus liberè fieri potest, pertinet ad facilitatem illius: de his tamen actibus imperantibus mentionem non facimus cum de habitibus disputamus, quia non semper, sed raro procedunt actus voluntatis ab aliis imperantibus, & multi negant posse dari tales actus imperantes, immediatè influentes in alios eiusdem potentie.

Facilitas formalis ad actus intellectus, & radicalis ad actus voluntatis sæpe non distinguuntur realiter, quia facilitas formalis consistit in speciebus, & sæpe nullus alius actus ad illam conducit, in quibus sita est radicalis facilitas ad actus voluntatis, quia ex eisdem speciebus oritur facilitas formalis ad actus voluntatis, quæ consistit in ipsis actibus intellectus. Ex quo inferitur, eandem species esse facilitatem formalem ad actus intellectus, & radicalem ad actus voluntatis, & habitum ad utroque; quia habitus ad actus voluntatis semper consistit in facilitate radicali: habitus autem ad actus intellectus dicit semper facilitatem formalem, consistentem in speciebus, immediatè influentibus in ipsos actus. Ratio propter quam habitus voluntatis consistit in facilitate radicali, & habitus intellectus in formali, est, quia habitus cuiuscumque potentie consistit in facilitate difficilè mobili, siue radicali, siue formali; cum verò facilitas formalis intellectus sit difficilè mobilis, in illa habitum constituimus, facilitas autem formalis voluntatis, quæ consistit in actibus intellectus est facilè mobilis, ideo non in illa, sed in radicali, quæ est difficilè mobilis, optime ratio habitus constituitur.

In hanc sententiam sic explicatam maximopere trahunt fundamenta suprà data, quæ, rebus omnibus non ita pensis, altè menti insedit, ut primū adhuc sub præceptorum virgula, quæstionem hanc audiui, & post longum illius examen, nihil rationis inuenio, quod ab illa animum retrahat, potius nonos illius patronos Patrem Lugum, & alios recentiores apud Arriagam inuenio: quapropter non illam improbabilem iudico; quia tamen opposita valde recepta est in scholis, quid iuxta utramque in reliquis difficultatibus, ad habitus spectantibus dicendum sit, explicabo.

PUNCTUM IV.

Quomodo concurrant habitus ad actus.

Iuxta opinionem suprà explicatam quæstionē hanc aliis locis definiui. Dixi enim Contr. 7. punct. 3. actus intellectus solum concurrere ad actus voluntatis proponendo obiecta, & species actiue influere in actus intellectus, & in alios, ad quos obiecta species subministrant. Quæstionem tracto in communi sententia, quæ habitus constituit in qualitatibus distinctis ab speciebus, & propositione obiecti. Habitum reddere potentiam facilem ad actum, præcisè per informationem absque ullo actiue concursu, ad quem ordinetur, defendunt Durand. in 3. dist. 23. q. 2. 3. & 4. Palud. ibid. q. 2. Vterque Hurtad. Complutensis 1. 2. tractatu de habitibus in communi, diff. 11. Salmant. disp. 16. de anima sect. 7. Affirmat Soar disp. 44. Metaph. sect. 6. sensisse plures, habitus concurrere effectiue, non ad substantiam actuum; sed ad modum illorum, quem modum, ait, dixisse aliquos esse intensiōem ipsius actus. Horum vnum Scorum fert Vazquez 1. 2. disp. 83. c. 2. n. 10. referuntur etiam pro hac sententia D. Thom. Gotsfredus, & Henricus; sed absque fundamento, ut constat ex Soar loco citato. P. Vazquez suprà num. 14. docet, habitum concurrere ad modum quemdam actui superadditum, non verò ad substantiam actus, neque ad illius intensiōem. Habitum concurrere ad substantiam actuum defendunt Caietanus & Capreol. apud Soar, Ochanus, & Gabr. in 3. dist. 23. art. 2. P. Fonf. 9. met. cap. 5. quæst. 4. sect. 2. Val. 1. 2. disp. 4. punct. 2. Soar suprà n. 8. P. Monzeus disp. 4. c. 3. §. *Deinde eadem ratio*. P. Gran. 1. 2. Contr. 4. disp. 3. n. 13. Ripalda lib. 2. de supernaturalitate disp. 52. sect. 2. n. 9. Arriaga disp. 9. sect. 4.

PRIMA CONCLUSIO. Habitibus nullo modo potest
R 4 concurrere

concurrere, ut actus facilius fiat, nisi per veram efficientiam, mediâ quâ, physice in genere causæ efficientis ab illo, tanquam à vera causâ dependeat agens. Probo: nullus est modus, quo possit intelligi habitus inclinans potentiam, nisi quatenus productivus actus, per modum causæ propendentis in illorum productionem: ergo concurrat actiue. Antecedens probo. Si aliquo modo concurreret, maxime ut conditio: hac ratione non concurrere suadeo, quia non apparet, quod genus conditionis exerceat habitus ad actus productionem. Non enim est applicatio inter agens & passum, neque rationem aliquam conditionis, quam nouerimus, exercet: ergo frustra fingitur nouum genus conditionis innominatum, & ignotum, cum possimus absque vilo inconuenienti rem explicare per verum concursum actiui, quem tota cognoscit schola. Dicit Hurtado, habitum esse veluti preces actionis, quæ propter illas fit. Si Hurtadus in ipsa cognitione facilitatem constitueret, rectè per precum metaphoram rem explicaret, quæ posset optimè accommodari cognitionibus, ex vi quarum hoc & illud motuum, ut voluntas determinetur ad actionem exercendam, illi proponitur. Cum verò habitum, & facilitatem ad actus ponat in qualitate quadam emortua, nescio quomodo possit dici preces effundere, ut actio fiat.

3 SECUNDA CONCLUSIO. Habitus non potest concurrere ad intensiorem actum, quin concurrat ad illius entitatem, seu substantiam. Probo: Gradus intensiōis sunt omnes eiusdem rationis in qualitate intensâ, neque cum hæc simul tempore producit; v.g. qualitas habens octo gradus caloris, dicuntur alij gradus intensiōis, alij non item; sed omnes gradus dicuntur intensio, & illorum quilibet: quia quilibet est simul cum aliis in eodem subiecto, in quo consistit intensio: ergo non possunt assignari aliqui gradus intensiōis, quorum productio ad habitum pertineat, alij, quorum productio ad potentiam tantum spectet. Secundo: Gradus omnes sunt non subordinati, & possunt esse eiusdem rationis: ergo habitus potens producere gradus intensiōis, potest quæcumque gradum in qualitate reperiunt producere. Tertiò: Etiam si habitus tantum produceret gradus aliquos intensiōis, concurreret ad substantiam actus, quia huius substantia æquè constat ex omnibus gradibus intensiōis, qui illam tanquam partes adintegrant.

4 TERTIA CONCLUSIO. Habitus non concurrat ad modum aliquem superadditum actui, in quo illius facilitas consistat, neque talis modus superadditus possibilis est. Probo: Modus ille supponeret substantiam actus: ergo productionem illius: ergo impertinens erit ad producendam substantiam facili, vel difficilè. Probo consequentiam. Quando aduenit ille modus, iam tota substantia est producta à potentia: ergo siue postea producatur modus, siue non producatur, nullum sentiet leuamen in productione, quæ iam præcessit, ad quam, si aliqua est difficultas, tota vincitur in illo signo, in quo exercetur, in quo, si modus ille non est, impertinenter postea adueniet.

5 QUARTA CONCLUSIO. Habitus effectiue concurrat ad substantiam actus. Inferitur hæc conclusio ex præcedentibus; nihilominus adhuc difficile est modum assignare, quo potentia per habitum concurrentem ab substantiam illius, facili reddatur. Dicunt nonnulli, potentiam facili reddi per habitum, quia, quod sunt plura principia concurrentia ad actum, minorem operam impendit potentia, minorique conatu actum producit. Non acquiesco. Hæc enim ratione, quod intensior esset habitus infusus, maiorem facilitatem sentiret potentia ad operandum, & tribuerent hi habitus non solum simpliciter posse, sed facili, & facilius posse, quando haberent intentionem supra minimam requisitam, ut actus posset simpliciter produci.

6 Secundo voluntas habitu informata, antequam actum producat, sentit propensionem, & inclinationem ad illum: ergo hæc propensio, & inclinatio aliquid est distinctum ab efficientia, & separabile ab illa: ergo habitus non solum reddit potentiam faciliem, illam adiuuando; sed formaliter per suam informationem, inclinans potentiam ad talem actum. Rem explicat Arriaga exemplo impulsus, qui motum producit, & antequam illum efficiat, manum inclinat ad illum, ita ut si manus, cui lapis est superpositus, non moueatur, laborat in resistendo motui, ad quem fert illam impulsus. Exemplum difficultatem non exhaure, quia impulsus qualitas est sensibilis, cuius sensatio tactui est disconueniens, & ita laborem sentimus in sustinendo lapidem, sicuti in retinenda manu igni applicatâ quem vitamus cum

manum mouemus, quia sicuti quando illam amouemus ab igne, cui erat applicata, ignis sensatione non fatigamur: ita quando mouemus manum, cui lapis est superpositus, tollimus applicationem requisitam, ut lapis impulsus, primat, & ita non fatigamur, non præcisè, quia impulsus non resistimus, sed quia non patimur impulsus, cuius sensatione torqueamur.

Ex hoc argumento vires resumit opinio, quæ facilitatem in cognitione constituit; pro qua ex illo iterum arguo. Voluntas antequam actum producat, sentit inclinationem ad illum, & verè in nobis experimur nos faciles, & prout esse ad aliqua obiecta, sed voluntas experitur hanc inclinationem ante volitionem: ergo tantum per ipsam cognitionem trahitur voluntas ad obiectum. Qualitas enim actiua dum nihil agit, perinde est, ac si non esset, neque per actionem tollit difficultatem, quæ ante ipsam est iam superata, adeo ut potius in illa non exercenda difficultas vincenda sit.

Vtitur hoc argumento Hurtadus, ad probandum habitum actiue non concurrere, quod mea quidem sententia probat, victoriam difficultatis non consistere in ipso actiui concursu. Verumtamen difficile adhuc est explicare, in quo consistat, si non ponatur in propositione obiecti; propter quam rationem non leuiter in illam sententiam propendebam, & longè difficilior, si dicatur qualiter hanc, quæ vincitur difficultas, actiui non esse. Si tamen res componenda iuxta sententiam, quæ facilitatem in habitibus superadditis constituit, sic ergo illam compono. Habitus est qualitas quadam ex se determinata ad producendum actum in quem inclinat taliter, ut eo ipso, quod in actu primo cum reliquis aliis requisitis ad talem actum violentiam nonnullam patiatur, si talis actum non producat, quia ex se est determinata, & per suam entitatem in actu primo conatur talis actum producere. Hanc propensionem, seu hanc conatum habet dependenter quoad efficaciam à libertate voluntatis, cui subditur, sicuti ignis concurrens cum Deo per modum principij determinati, concurrat salus libertate Dei, à qua dependet exercitium suæ inclinationis: sic habitus est determinatus ad producendum actum dependenter à libertate voluntatis, à qua dependet exercitium suæ propensionis; non tamen ipsa propensio, sicuti finis productio igne non dependet à voluntate Dei, ut in effectum propendat; quia per suam entitatem habet hanc propensionem, sine qua existere repugnat. Per hanc propensionem habitus voluntas trahitur ad actum saluæ semper libertate illius, ita ut non solum sit illi facile in actum proripere, verum se ab illo continere sine difficultate non possit, licet illius libertas difficultatē hanc superare valeat.

Ex hoc inferes difficultatem non tolli per ipsam actionem voluntatis, sed formaliter per propensionem, quam habet voluntas ad talem actionem. Quæ propensio est identificata cum ipso habitu, & præcedit volitionem precedentem ab illo, & ideo dicimus hominem sæpe labi in aliquod peccatum, quia est facilis, procliuus, & propensus ad illud: ergo facilitas præcedit actionem peccaminolam precedentem ab habitu, & formaliter consistit in ipso habitu, qui per modum actus primi per suam entitatem formaliter inclinat voluntatem in talem actum. Ex quo concludo, in instantibus, in quibus præcedit habitus cum reliquis requisitis ad actum, voluntatem esse prius tempore, quam illum exerceat faciliem ad actum, & in ipso instanti temporis, in quo actum elicit, prius naturâ, quam illum eliciat, voluntatem faciliem esse per habitum naturâ priorem actu.

Ex hac doctrina facili rationem assigno, propter quam habitus infusi etiam intensi vltra id, quod ad posse requiruntur, facilitatē non tribuant potestati; videlicet, quia est finis actum operatiui, ex se non exigunt operari, etsi non possint operari, nisi dependenter à voluntate; ex se tamen semper exigunt operari, ita ut nonnullam quasi violentiam patiantur, quando voluntas non vult cum illis operari, ad instar ignis, cum quo Deus concurrere non vult. Quam differentiam infero à posteriori; quia experimur hominem intensiori, vel remissiori habitu charitatis præditum, non ideo maiorem, minoremve facilitatem habere ad actus supernaturales charitatis exercendos, quod signum, est diuerso modo inclinare habitum acquisitum ad actus, quo non inclinatur infusus. Quæ diuersitas non ex alio capite videtur nasci posse, nisi ex diuersa ratione, quæ per modum actus primi hi habitus proprios actus respiciunt.

Obiit.

11 Obiicies primò: Habitus per nos reddit facilem potentiam antecedenter ad concursum actuum: ergo necessarium non est ipsum actum concurrere. Respondeo habitum reddere facilem potentiam ad actum per conatum ad concursum actuum, ex quo concursus actuum habitus in actum necessarium dimanat eo ipso, quod actus sit futurus: ac proinde concursus actuum necessarius est, non tantum quid formaliter potentiam facilem constituens, sed tanquam quid illatum necessarium in actu futuro ex illo, per quod potentia facili constituitur.

12 Obiic. secundò. Actus efficienter producant habitus: ergo non possunt habitus producere alios actus: quia nequeunt duæ causæ æquiuocæ esse sibi inuicem causæ adhuc secundum diuersa indiuidua. Respondeo concedendo primum antecedens, & negando consequentiam, & confirmationem illius, quia actus intellectus producant species impressas, quæ rursus alios actus intellectus producant.

13 Obiicies tertio: Habitus concurrunt immediatè, & physice ad substantiam actus, v.g. volitionis: ergo volitio, quæ semel dependet ab habitu, non potest non dependere ab illo; quia volitio includit actionem, quæ non potest non dependere ab illo principio, à quo semel dependet: ergo habitus non requiritur solum ad facilitatem, sed etiam ad substantiam habitus. Urgeo: Volitio, quæ dependet semel ab habitu non potest dependere à voluntate tantum: & volitio, quæ dependet tantum à voluntate non potest ab habitu dependere: sed volitio, quæ dependet à voluntate tantum, & non potest dependere ab habitu; & volitio, quæ dependet ab habitu, & non potest non dependere ab illo, respiciunt principia specie distincta: ergo distinguuntur specie, quia actiones respicientes principia specie distincta, distinguuntur specie: ergo habitus requiritur non solum ad hanc numero volitionem; sed ad volitionem huius speciei, ita ut implicet volitionem eiusdem speciei cum illa, quæ procedit ab habitu, procedere tantum à voluntate: ergo habitus acquisitus non requiritur tantum ad facilitatem actus: sed ad substantiam specificam illius.

14 Respondeo, verum esse habitus requiri non solum ad hunc numero actum: sed etiam ad hanc speciem actus, si diuersitas specierum ex principiis desumatur: nihilominus dicitur tantum requiri ad facilitatem: quia eadem voluntas possit alio actu naturali tendere circa idem obiectum formale. Unde ratione naturalitatis, & ratione obiecti habitus acquisitus simpliciter non requiritur. Ex quo fundamentum desumitur ad dicendum habitum acquisitum non requiri ad simpliciter operandum, hoc est, naturaliter, vel supernaturaliter circa tale obiectum, sed tantum ad faciilius operandum. Habitus infusus dicitur requiri ad simpliciter operandum, quia nequit voluntas sine habitu infuso, vel sine aliquo suppleente vices illius, versari circa tale motuum actu supernaturali.

15 Obiicies quartò: Actus sufficienter responderet potentia tanquam principio ad quatuor: ergo non potest dependere ab habitu. Monui sæpe ex hac correspondentia prædicatorum non desumi argumentum efficax ad causam adæquatam constituendam, nisi quando aliud non superest fundamentum ad nouum principium assignandū effectui. In præsentia tamè illud habemus, quapropter admissio antecedenti posset negari consequens. Potest etiā antecedens negari, quia actus, qui procedit ab habitu non potest ab illo non procedere modo nuper explicato, ac proinde actus ille non sufficienter potentia correspondet.

16 Inquirunt nonnulli, an potentia intensiorem actum producere valeat cum habitu, quam sine illo posset producere? Affirmat Arriaga, quia quod plura sunt principia ad effectum, effectus intensioris capax intensior euadit: sed quando habitus concurret ad actum, sunt plura principia ad effectum producendum, & effectus est intensior capax: ergo effectus intensior euadet. Negant alij, & melius, quia habitus non dantur ad posse simpliciter, sed ad faciilius operandum: ergo quidquid potentia valet cum illis producere, posset sine illis, etsi non facile producere. Responderet Arriaga, habitus dari ad faciilius operandum sub tanta intensione, & ad posse simpliciter sub alia maiori. Res est parui momenti, in qua difficile erit quidquam euidenter ostendi. Existimo tamen absque fundamento dicere Arriagam, habitus dari ad simpliciter posse

sub magna intensione actus producere: & contra communem sententiam, quæ ad actus naturales, quantumvis intensos, habitus acquisitos non requiri defendit. In sententia, quæ habitus constituit in speciebus, & facilitatem actualem in cognitione, eam hæc principia, etsi non illa intensione, sub qua habitus dicuntur, ex se requirantur ad posse simpliciter: & intensio superaddita minimo requisito sit eiusdem rationis cum illo minimo, quod simpliciter requiritur, illud quod dat faciilius posse, respectu huius actus, dat posse simpliciter respectu alius intensioris, qui causam petit intensiorem, & eiusdem rationis etiam secundum illam intensiorem, quam petit remissior alius actus eiusdem rationis cum ipso.

Inquiritur secundò: An habitus concurrere possit ad actum illo intensiorem? Pars negativa ita posset suaderi: Nulla causa potest producere effectum intensiorem se, ut patet in calore, & aliis qualitatibus: ergo habitus non potest concurrere ad productionem actus illo intensioris. Affirmatiuam partem sic suadeo. Habitus non requiritur ad substantiam actus: ergo potentia sine habitu poterat producere effectum intensum, ut quatuor: ergo informatam habitu ut duo poterit eundem actum elicere, quia habitus adueniens non minuit virtutem potentia. Soar. sect. 6. n. 7. & Torres 2. 2. disp. 38. dub. 4. afferunt, potentiam informatam habitu intenso ut duo, posse elicere actum intensum ut quatuor: tunc tamen habitum non producturum gradus intensioris, quibus vincitur ab actu. Vtrique pars conclusionis rationibus supra datis probanda est.

PUNCTUM V.

De distinctione habituum, & de eorum intensione.

PRIMA CONCLUSIO. Pro omnibus actibus supernaturalibus eiusdem virtutis, datur vnus habitus infusus, tam respectu virtutum intellectus, quam voluntatis. Hæc conclusio est omnium communissima: sine fundamento enim distinguuntur diuersi actus fidei in intellectu, & diuersi habitus charitatis in voluntate: pro diuersitate actuum fidei, & charitatis, quia nullum est fundamentum ad tales habitus distinguendos. Deinde quia habitus infusi dantur, ut compleant potentiam impotentem ex se ad actum supernaturalem. Unde cum eadem sit improprio, seu impotentia respectu actuum eiusdem virtutis, eodem habitu suppleri congruum est. Dixi congruum est, quia existimo hanc conclusionem nullâ ratione metaphysica posse euidenter positivè probari: efficacissimè tamen probatur ex eo, quod nulla sit ratio ad hos habitus distinguendos.

SECUNDA CONCLUSIO: In intellectu dantur diuersi habitus pro diuersitate conclusionum, in quas inclinant habitus, etiam si illarum diuersitas tantum proveniat ex obiecto materiali. Hanc conclusionem docet Soar. sect. 11. n. 55. licet non ita clarè tradat requiri diuersum habitum pro conclusionibus diuersis tantum ex obiecto materiali. Illam tenet Hurt. disp. 11. Metaph. sect. 7 & Arriag. disp. 1. Logica sect. 3. subsect. 4. & ratione probatur: sæpe quis habet facilitatem in quibusdam conclusionibus scientiæ eliciendis, & non in aliis conclusionibus scientiæ eliciendis, & non in aliis conclusionibus pertinentibus ad eam scientiam, sæpe quis facile discurret in hac materia; non verò in illa, etiam si obiectum formale discursus, seu connexio antecedentis cum consequenti sit eadem formaliter: ergo facilitas ad hos actus est diuersa pro diuersitate actuum, Deinde probatur. Habitus intellectus non distinguuntur ab speciebus obiectorum: sed species distinguuntur pro distinctione obiectorum materialium, & formalium: ergo & habitus.

TERTIA CONCLUSIO: Habitus voluntatis distinguuntur pro diuersitate obiectorum formalium, & materialium, si materialiter specie differant: vel saltem numero, si similitudinem aliquam habeant. Probatur hæc conclusio: sæpe quis habet facilitatem in temperantia circa cibum, & non circa potum, circa hunc cibum, & non circa aliū. Responderet P. Soar, hanc facilitatem provenire ex aliis capitibus, quæ ex ipso retuli puncto præcedenti: sed hæc solutio probatur non dandos esse habitus distinctos ab speciebus, quapropter si hi defendendi sunt, necessum est asserere

rere distinctos habitus esse constituendos respectu actuum versantium circa diversa obiecta formalia, vel materialia.

- 4 **QUARTA CONCLUSIO.** Pro diversitate actuum versantium circa idem motuum formale, & tantum materialiter numero distinctum sine aliqua dissimilitudine, non est diversus habitus in voluntate constituendus in opinione, quæ habitus constituit distinctos à cognitione, & speciebus. Ratio est, quia quoties quis facit se abstinere ab hoc pane, facit etiam se abstinere ab alio eiusdem rationis: est enim eadem difficultas in abstinencia ab utroque, cum non sit maior difficultas in hoc non edendo, quam illo: si verò panes essent diversæ rationis, hic albus, suavis, & optimum habens saporem, ille verò niger, asper, & insipidus, maior esset difficultas in non edendo pane albo, quam nigro, ac proinde diversus habitus pro his actibus essent assignandi, secundum hanc sententiam. In sententia verò, quæ habitus voluntatis constituit in cognitione, sicut cognitio est diversa pro diversitate obiectorum, quantumvis materialium, ita habitus vel saltem facultates formales erunt numero diversæ, licet numquam possit quis his duobus obiectis eodem modo cognitis esse facilis ad unum, & non ad aliud.

- 5 **QUINTA CONCLUSIO.** Habitibus respectu eiusdem obiecti, vel respectu obiectorum similium, in opinione quæ constituit habitus distinctos, intenduntur per additionem gradus ad gradum. Qui gradus vniuntur mediâ vniione sicut vniuntur gradus intensi caloris. Hos gradus intendi infero ex eo quod sentitur respectu eiusdem obiecti maior facilitas, quo quis pluribus actibus circa illud se exercet. Hanc intentionem fieri per additionem graduum virtutum ex eo infero, quod hi gradus sunt eiusdem rationis, & in eodem subiecto necessarii debent esse vniiri, neque secundus gradus habitus est modus prioris illi per se vnitus, ut docet Vasquez 1. 2. disp. 8. sect. 5. quia cum omnes gradus sint producti ab actibus eiusdem rationis, ipsi etiam eandem naturam sortiuntur, & nulla est ratio, propter quam gradus posterior productus sit modus prius producti: neque ut ille qui prior fuit productus, non potuerit esse posterior. Neque obstat modum vniionis partium habitus non esse facilitatem in ordine ad obiectum, sufficit enim esse vniitum graduum in quibus facilitas consistit.

- 6 **SEXTA CONCLUSIO.** In opinione, quæ totam facilitatem voluntatis constituit in cognitionibus, & radicaliter in speciebus, ex quibus hæ cognitiones oriuntur, facilitas potest intendi per additionem gradus ad gradum. Quia, cum cognitio hoc modo intendatur, & hæc sit facilitas, facilitatem ita intendi necesse est: quæ ratio est eadem de speciebus. Potest tamen secundum hanc opinionem facilitas fieri maior, & magis inclinari voluntas sine additione gradus: sed per additionem cognitionis ad cognitionem. Si enim voluntati repræsentetur obiectum per quamdam cognitionem repræsentantem illud, ut conveniens, & postea ex vi alius cognitionis idem obiectum sub alia ratione conveniens repræsentetur, voluntas magis allicietur ad amorem illius, & erit magis facilis ad illud amandum per duas cognitiones repræsentantes duas bonitates, quam per unam simplicem bonitatem repræsentantem.

- 7 Contra has conclusiones solet obiici, sequi ex illis virtutem temperantiæ non esse unam, neque scientiam aliquam habere unitatem. De unitate scientiæ dixi sepe, illam esse unitatem quamdam moralem ordinis: non verò metaphysicam. Idem dico de unitate virtutis moralis acquisitæ sumptæ pro habitu, quæ potiori ratione dicitur una, est plures habitus continere: quia actus omnium respiciunt idem obiectum formale, v. g. actus omnes misericordiæ respiciunt levamen miseriæ alienæ; actus verò eiusdem scientiæ, v. g. Logicæ respiciunt obiecta formalia valde diversa.

PUNCTUM VI.

De productione, & corruptione habituum, & causis illorum.

- 1 **F**uit Durandi opinio habitus produci à potentia & actus esse dispositiones ad illos. Communis tamen sen-

tentia, quam defendit Vasquez 1. 2. disp. 79. cap. 9. Sect. disp. 44. lect. 8. Hurtad. disput. 16. sect. 6. docet habitus produci ab actibus. Hanc opinionem verissimam censet iuxta communem sententiam, quæ constituit habitus distinctos: esto illius ratio experimur ad repetitionem actuum, sicut virtus activa lucis soli tribuitur; quia activa sententiam solis lux producit. Non enim apparet, in quo fundamento asserat Durandus, illos actibus indigere tantam dispositionibus.

Obiicit Hurtad. pro sententia Durandi: Habitibus virtuosus conservatur à voluntate: ergo ab illa potest produci eadem enim virtus requiritur ad conservationem, & ad productionem. Antecedens probat, quia habitus virtuosus non potest conservari ab actu, qui iam præterit, neque à Deo, quia indecens est, Deum conservare actum virtuosum. Respondet Hurtad. habitum virtuosum conservari à voluntate, quæ virtutem habet illum producentem, licet illum non producat: quia ad præsentiam actus huius debet concurrere, quia est causa minus æquiuoca cum habitibus verò potentie.

Non placet hæc doctrina quia quotiescumque contingit duplex causa, & utraque habet virtutem producendi effectum, ab utraque producit per concurrens attentum manentem ab utraque causa, neque video quæ ratione actus sit causa minus æquiuoca cum habitu quam potentia, cum maior dissimilitudo sit inter habitum, & actum quam inter habitum, & potentiam. Actus enim differt ab habitu in ratione vitæ actualis, & vitalis actionis, in quo non differunt potentia, & habitus, quæ alias conueniunt in hoc, quod est esse principium actus. Melius responderetur habitum virtuosum conservari à Deo, in quo nulla est indecencia, sicut neque est in eo, quod simul cum actu concurrat ad productionem illius & simul cum voluntate ad materiale peccati, quia licet hi concursus sint tantum, cause primæ, & conservatio habitus virtuosus dependeat tantum à Deo, hanc præstat Deus quatenus est causa prima, & vniuersalis, ad quam non tantum pertinet cum causis particularibus concursu vniuersali concurrere, sed etiam peculiari concursu supplere causarum absentiam, & effectus conservare, quo causa secunda produxit quotiescumque effectus natura sua petit durare.

Inquires, an habitus producatur primo actu? Respondeo primo actu produci aliquam facilitatem, quæ licet sit eiusdem rationis, & essentia cum habitu, & aliis gradibus aduenientibus, atque ex illis & gradu seu facilitate producta à primo actu, fiat habitus: nihilominus non dicitur habitus quovisq; adiungatur cum aliis gradibus aduenientibus, quia tunc, utpote valde remissa, est facile mobilis à subiecto.

Hæc in communi sententia, quæ habitus in qualitatibus distinctis constituit; in sententia verò, quam proposui, quid in hac re dicendum sit constat ex dictis. Cum enim in illa facilitas actualis, & immediata consistat in cognitione, dicendum hanc produci à potentia & speciebus. De facilitate verò radicali, quæ in speciebus consistit, dicendum est produci ab actibus præteritis, qui relinquunt speciem impressam repræsentatiuam ipsorum, & obiectorum, quæ tales actus respiciunt, ut probaui.

Circa corruptionem habituum dicendum est contra Gabriel. in 3. dist. 23. q. 1. art. 3. dub. 6. & Almain. in 1. tom. moral. cap. 18. asserentes habitus corrumpi ex defectu exercitij, & contra Gregor. in 1. dist. 17. q. 3. art. 2. & eundem Almainum, asserentes corrumpi habitus immediate, & formaliter per actus procedentes ab habitu opposito: Cum P. Vasquez 1. 2. cap. 1. disp. 81. Lorc. ibid. disp. 12. Montefin. disp. 34. q. 1. & Gran. disput. 12. sect. 3. habitus tantum formaliter corrumpi per habitum oppositum, quia id quod formaliter opponitur cum facilitate ad actum virtutis non est actus vitij, sed difficultas ad actum virtutis, & facilitas ad actum vitij, in qua consistit habitus oppositus. Corruptur habitus actu contrario remotè & efficienter, quatenus producit habitum, quo formaliter & proxime corrumpitur. Neque cum aliquo fundamento dicitur habitum corrumpi ex defectu exercitij, quia negatio actionis non potest esse destructiua principij.

Obiicit Arriaga: Quando quis habet habitum vitij ut octo, verbi gratia, & incipit se exercere primo actu virtutis opposito, habitus imperfectus seu facilitas producta primo

primo actu non potest expellere aliquem gradum habitus vitiosi vt octo: ergo hic non potest corrumpi aduentu contrarij. Probat minorem: quando elicitur primus actus virtutis, supponitur habitus vitij vt octo retardans voluntatem ab illo actu: ergo supponitur existens in illo instanti: ergo non potest corrumpi in illo instanti. Multa mouet Arriaga, vt huic argumento satisfaciatur, sed absque villa necessitate, eadem enim est difficultas de habitu vt octo resistente actui virtutis oppositæ, quam de calore vt octo resistente primo gradui frigiditatis, ac proinde eodem modo respondendum est iuxta dicta in generatione, de expulsiōe qualitarum, octauum gradum habitus vitiosi expellendum habitu productum primo actu virtutis oppositæ non resistere actui virtutis, neque gradui contrarij, à quo expellitur in illo instanti, in quo corrumpitur, & actus virtutis producit à voluntate.

8 Dubitant nonnulli, an de potentia Dei absoluta possint conservari habitus inter se oppositi; de quo ego non dubito. Certum enim existimo posse habitus quatuorvis inter se oppositos, diuina intercedente potentia, in eodem subiecto componi, quia potest Deus vno habitu introducere, non suspendere concursum, quo conservabat alterum contrarium, quantumvis introductus exigit suspensionem conservationis illius; exigentia enim causæ secundæ non cogit primam, vt secundum illam necessarii operetur, neque illi libertatem admittit, vt iuxta eadem exigentiam causæ secundæ provideat.

9 Confirmatur. Possunt actus inter se oppositi, sicuti sunt amor, & odium de eodem obiecto simul in eodem subiecto conservari, vt probavi Controv. 6. Punct. 3. ergo potiori ratione poterunt habitus, in quibus est oppositio ratione actuum.

10 Neque in eo quod voluntas habeat qualitates inclinantes in actus contrarios, quorum quilibet ex se intendebat voluntatem retrahere ab actu in quem altera inclinat, aliqua est contradictio proxima, aut remota; non enim ex eo, quod voluntas habeat habitum iustitiæ inclinantem in iustitiæ actum, & remouentem ab actu iniustitiæ; & oppositum habitum inclinantem in actum iniustitiæ, & remouentem ab actu iustitiæ, inferitur voluntatem de facto trahendam esse in actu secundo ad actum iustitiæ, & remouendam ab actu iniustitiæ, & simul in actu secundo trahendam in actum iniustitiæ, & remouendam ab actu iustitiæ in quo est immediata contradictio: quia adhuc absente habitu opposito, non semper habitus inherens voluntati consequitur effectum, quem intendit, & præsentia oppositi per accidens impeditur inclinatio, quam assert voluntati, vt minus in actu primo voluntas ex vi illius trahatur: quia voluntas in opposita inclinata tantum retrahitur inclinatione ad odium, v. g. ab amore, quantum trahitur adhuc per inclinationem, quam habet ad ipsum amorem, & tantum retrahitur ab odio per inclinationem, quam habet ad amorem, quantum trahitur ad odium per habitum inclinantem ad odij actum, ac proinde per oppositum actum in opposita attracta in suam naturalem indifferenciam reducit; sicuti trutina ex se fæte lance æquæ librata, dum vni lanci pondus aliquod superponitur, tota in illam partem trahitur, quod si verique lanci æquale pondus adiciatur, quilibet quantitas intendet trutinam trahere in partem illam, in quam ipsa propendet & cum in opposita loca quantitates ferantur, & trutinam inclinent hæc æquæ librata manebit, ac si nullo pondere traheretur, & æquæ poterit in quamlibet partem moueri ac si in oppositam nullam haberet inclinationem. Hac ratione dixit Arriaga duos habitus oppositos de potentia absoluta simul existentes proprios effectus formales non daturus.

11 Ex hac doctrina, si rationibus metaphysicis præcisè attenderem, non esset mihi difficile defendere, non opponi habitus, quantumvis intensos, inclinantes in actus oppositos, sed vnum tantum alteri, quasi efficaciam adimere, & effectum formalem impedire, alium oppositum tribuendo: quo posito perinde est ac si non esset ille, quem præstat habitus, sicuti exemplo trutinæ explicatum est, quæ tota ex vi quantitatis existentis in vna lance inclinatur in hanc partem per modum actus primi, & tota ex vi alijs quantitatis existentis in altera lance per modum actus primi in oppositam inclinatur, quæ inclinationes secundum suam entitatem non opponuntur, etiam si sin in actus impossibiles, sed tantum adinuicem retardantur ita vt

ex vi alterius quilibet ita se habeat in ordine ad effectum ac si non existeret. Assumo nihilominus habitus inter se opponi, propter communem sententiam, & vt facilius assignemus, habituum corruptionem, & quia durum videtur asserere habitum tantum posse alio intensiori superari. Censeo tamen facile posse defendi habitus inter se formaliter non opponi, sicuti non opponuntur cognitiones intensissimæ inclinantes in actus voluntatis oppositos, neque species impressæ aptæ ad productionem intellectuum inter se impossibilem, neque impulsus in opposita loca idem corpus inclinantes. Iuxta quam sententiam dicendum esset, habitus corrumpi sicuti species, quia non diu durare possunt, vnde si repetitione actuum non intenduntur per longum tempus, ex se deficient. Quod non mediocriter suadet experientia, quia si quis Veneri deditus, per longum tempus à Veneris actibus abstinere, alijs rebus nimis intentus, & actuum castitatis oblitus, non eadem propensionem sentiret in venerem, quam sentiret, si nullo tempore illius actus essent interrupti, quod efficaciter suadet habitus temporis diuturnitate corrumpi. Quod si breui tempore habitus seu inclinatio in aliquod obiectum superanda sit, hoc faciendum est crebro exercitio actuum oppositorum quibus, etsi non corrumpatur habitus præcedens, producat intensior, quod magis trahatur voluntas, & adeo intensè, vt non sentiat inclinationem antiqui habitus. Si tibi placuerit hic dicendi modus, & singularitatis amicus velis defendere, habitus inter se non opponi, non alia opera indigebis ad hanc sententiam defendendam, præter eam, quam ad illam explicandam adhibui.

12 Obijciat. Contrà id, quod diximus habitus oppositos non posse simul conservari naturaliter, posse tamen supernaturaliter. Deus non potest conservare supernaturaliter habitum vitij, quia non potest illum ex se conservare, nisi ad exigentiam causarum: ergo non potest habitus vitij existere in statu, in quo non petat naturaliter conservari: ergo non potest conservari cum virtutis habitu, cum quo non exigit suam conservationem, neque naturaliter conservari. Respondent nonnulli Deum posse conservare naturaliter habitum vitij & supernaturaliter virtutis habitum, quia quando naturaliter conservatur erat habitum vitij, & suspensus concursus circa habitum virtutis, potest hunc supernaturaliter non suspendere, in quo casu habitus vitij naturaliter, & iuxta exigentiam causarum conservabitur, seu producat, & tantum conservatio habitus virtutis erit supernaturalis. Non placet hæc solutio, quia quotiescumque duæ formæ impossibiles conservantur, conservatio vtriusque est supernaturalis, quia illa quæ denuo introducit non potest naturaliter introduci, nisi supponatur opposita saltem auferibilis per illam, ac proinde quando virtutis habitus supernaturaliter est conservandus, habitus vitij naturaliter produci nequit.

13 Respondeo. Deum posse habitum vitij iuxta propriam exigentiam conservare supernaturaliter non addita exigentia, quam haberet habitus virtutis illi coexistens vt corrumperetur, in quo casu Deus non à se sed iuxta exigentiam, quam habet habitus vitij operaretur, etiam si contra exigentiam habitus virtutis, ex vi cuius habitus vitij corrumperetur esset. An verò Deus possit habitum vitij nulla exigente causa infundere disputent inter se Theologi.

14 Disputant nonnulli, An ad habituum oppositionem requiratur oppositio ex motiuo formali, vel sufficiat tantum secundum obiecta materialia: v. g. an habitus inclinans in actum, quo quis committit iniustitiam propter luxuriam, furtum scilicet propter fornicationem, opponatur cum iustitiæ habitu: Resp. affirmatiue, quia furtum factum propter fornicationem opponitur cum actu iustitiæ: ergo habitus orti ex his actibus opponuntur, quia tota habituum oppositio oritur ex actuum oppositione.

15 Hæc in communi opinione; in sententia verò facilitatem actuale constitutante in cognitione, dicendum est corrumperetur ex defectu attentionis animæ ad alia obiecta se conuertentis vel ex defectu sensationum externarum, & phantasmatum excitantium talem cogitationem. De corruptione radicalis facilitatis specierum videlicet intellectus, maior est difficultas, non enim possunt deficere ex defectu subiecti, hoc enim durat cum sit ipsa anima, neque ex defectu conservantis, quia si conservantur ab anima;

anima, eadem perseverat, neque necessum est ipsam vacare ab aliis operationibus, ut ipsas conferuet, si autem conferuantur à Deo, nullo modo potest ad defectum virtutis conservatrici confugiri, neque hæc species possunt aliis contrariis expelli, constat enim componi in eodem intellectu species obiectorum habentium oppositionem contrariam & contradictoriam.

16 Dixerunt aliqui species continuè durare, sed antiquas obrui aliis de novo advenientibus, & ita non posse operari. Contrà tamen, quia intelligi non potest quid sit species antiquas novis obrui, cum omnes idem indivisibile subiectum occupent, neque species novæ antiquas contendant, omnes enim sunt in eodem indivisibili spatio, etsi antiquæ corruptæ non fuere, ut hi fatentur, eandem virtutem habent species antiquæ ac novæ, cum illæ quæ, modò sunt antiquæ cum eadem virtute antea fuerint novæ.

17 Dicendum existimo has species corrumpi sicut corrumpitur impulsus, & sonus, & aliæ huiusmodi qualitates quæ per aliquod tempus petunt durare, quo transacto, durationem, neque conservationem sui non exigunt à causa prima.

18 Id quod alij dicunt species otio corrumpi fundamento caret, negatio enim actionis dimanantis ab illis non potest esse causa mediata, neque immediata corruptionis illarum. Est tamen notandum, quod quoties quis exercet species quas habet alicuius obiecti, & sæpè de illo cogitat in dies novas species acquirit illius obiecti productas ab actu intellectus versante circa illud, & ita etiam antiquæ corrumpantur non sentitur defectus illarum, quia species noviores producantur actus similes illis, quas antiquæ producebant, & hoc est fundamentum propter quod aliqui putantur species exercitio conservari, & otio corrumpi.

PUNCTUM VII.

An actus supernaturales ab habitibus supernaturalibus producti alium habitum supernaturalem acquisitum producant, & quomodo per illos facilius reddatur potentia.

1 **P**otest dubitari an actus supernaturales producant habitum acquisitum supernaturalem, quo potentia reddatur facilis ad alios actus supernaturales, & an producant habitum naturalem, quo potentia reddatur facilis ad actus naturales, & supernaturales, tendentes circa illud obiectum, qui habitus primò producitur, si alij actus naturales circa idem obiectum non præcesserint, à quibus similis habitus non fuerit productus; si verò præcesserint, & talem habitum prodixerint, eundem intendunt actus supernaturales circa idem obiectum. Quod si includantur actus supernaturales nullum actum producere, explicandus est modus, quo potentia facilis constituatur ad actus supernaturales eliciendos, quia experientia compertum est potentiam acquirere talem facilitatem, & hanc non provenire ab habitibus infusis certum est, quia postquam charitatis infusæ habitum habet, sæpè facilis non est ad actus charitatis supernaturales eliciendos, & habitus infusi virtutum moralium semper sunt eadem intentione ad mensuram gratiæ habitualis, & homo maiorem facilitatem habet ad actus supernaturales huius virtutis quam illius, imò facilis est ad actus huius virtutis, & positivè difficilis ad actus alios.

2 Sententiæ affirmanti actus supernaturales producere habitum acquisitum supernaturalem fauent uterque Hurtadus Complutensis. 2. diff. 5. ubi illam sine formidine defendit, Salmant. disp. 16. de anima, sect. 8. num. 74. ubi multum propendit in illam. Eandem posse defendi, & probabilem esse sæpè insinuat P. Vasquez 1. 2. disp. 79. num. 45. & 48. Probabilissimam esse docet Arriaga disp. 9. sect. 1. subsect. 2. n. 18. & ex antiquis illam docuere Petrus Bergomensis in tabula aurea dub. 697. & Almain. in 3. dist. 23. q. 3. & ut nonnulli volunt admittitur à S. Thoma de veritate p. 17. & conscient. art. 1. ad 4.

3 P. Mol. 1. p. q. 1. art. 3. in fine, P. Azor. tom. 1. lib. 3. institut. mor. c. 2. q. 3. Coninch. 2. 2. disp. 7. dub. 3. Ripald. lib. 3. de ente supernat. disp. 53. docent actus supernaturales producere habitum acquisitum naturalem.

4 P. Soar. lib. 6. de gratia cap. 14. ait facilitatem ad actus

supernaturales posse reduci in speciem providentiam, & assistentiam virtutis diuinæ, & auxiliorum, quibus homini iustus iuvatur à Deo ad actus supernaturales efficiendos. P. Vasquez disp. 79. cap. 47. affirmat assuetudinem actuum in efficiendos.

PRIMA CONCLUSIO. Si habitus acquisiti respectu actuum naturalium distincti ab speciebus defendendi sunt, necessum est dicere, dari alios habitus ad quosdam actus naturales, siue supernaturales, à quibus potentia facilis erudit ad actus supernaturales. Rationem terigi Pund. 3. quia si facilitas ad actus supernaturales defenditur per novum usum specierum, vel per auxilia gratiæ, & sanctas cogitationes, eodem omnino modo dicitur facilitatem ad actus naturales non consistere in novo habitu superaddito, sed in nova cognitione obiecti, & in exercitio specierum, seu multitudine illarum, neque aliqua disparitatis ratio reddi poterit. Quod argumentum expendit Vasquez agens de extensione habituum contra Soarium dicentem hominem præditum habitu alicuius virtutis ex parte potentie esse aquè facilem ad unum obiectum, quam ad aliud, sed ipso usu circa unum obiectum sentire facilitatem, quia ipsa exercitatione species aptius representant obiectum, ut amplectatur à voluntate. Circa quem modum dicendum est insurgit Vasquez illo posito frustra nos laborasse in habitibus querendis, tota enim facilitas actuum ad illam specierum exercitationem sine aliis habitibus distinctis posset reduci.

SECUNDA CONCLUSIO. Actus supernaturales non producant habitum acquisitum supernaturalem. Probat nonnulli hanc conclusionem à posteriori, quia si talis habitus supernaturalis acquisitus produceretur permaneret in peccatore quod est contra Conc. Trid. definiens in homine peccatore tantum manere habitum fidei, & spei. Non moueor hac ratione, neque aliquid absurdum in consequenti reperio, quia Tridentinum tantum definit ex habitibus infusis nullum manere in peccatore præter habitum fidei, & spei, de acquisitis verò non meminit, quia ad institutum Concilij non spectabat.

Alij arguunt: si darentur hi habitus, permanere non possent in peccatore, quia hic non habet habitus infusos, qui dant simpliciter posse ad actus supernaturales: ergo non potest habere acquisitos dantes facilitatem posse. Probo consequentiam: habitus qui dat posse faciliter operari supponit ipsam potentiam operandi: ergo non potest esse sine illa: ergo non potest esse sine habitu infuso, qui dat possit in quo consistit potentia ad tales actus. Si vera esset illatio, hoc argumentum, non hanc sententiam impugnaret, sed potius dilueret primum supra factum, quia si habitus acquisitus supponit infusum in homine peccatore, in quo peccatum corrumpitur habitus infusus, corrumpetur etiam acquisitus, in quo nullum esset inconueniens. Dices non esset tamen aperte falsum, quia experimur non per primum peccatum, quo corrumpuntur habitus infusi, corrumpi facilitatem ad omnes actus virtutum infusorum, sed permanere hominem facilem ad plures illarum actus exercendos. Esto, hoc argumentum probat te non rectè arguere, dum ex corruptione habitus infusi inferis corruptionem acquisiti, quia etsi facilitatem in quocumque alio constituas, eodem modo potero arguere illam facilitatem supponere potentiam ad operandum, quia posse facile operari, supponit posse operari.

Respondeo habitum acquisitum posse permanere sine infuso quia etiam sine habitu infuso peccator est potens efficere actus supernaturales per auxilium extrinsecum Dei, qui præsto adest ut loco habitus cum peccatore concurrat ad actus supernaturales eliciendos. Adde habitum acquisitum permanens esse, etiam si peccator non haberet specialem concursum paratum ad actus supernaturales, & impotens esset illos efficere. Quia habitus acquisitus non supponit id, per quod potentia constituitur potens ad actus præcisè ut conferretur, sed ut de facto potentiam inclinet, & ut de facto effectum habeat, ut patet in voluntate, quæ sine cognitione amare nequit, & tamen sine cognitione obiecti conservat habitum, qui posita cognitione inclinat in talè actum. Sic habitus acquisitus supernaturalis potest esse sine infuso, quo posito inclinabit ad actum supernaturalem, ad quem non inclinabat ablato infuso, quia habitus non inclinatur, neque allicitur potentiam ad actum, quo vivit sit in actu primo ad illam. Ad argumentum in forma respondet

respondendum est, negando non posse conferuari habitum acquisitum sine infuso. Ad probationem illius distinguendum est antecedens. Facile posse, supponit simpliciter posse: facile posse in actu primo adaequato, concedo: habitus qui ex se tribuit facile posse, & de facto reddit potentiam facilem, quando habet omnia requisita secundum suam entitatem supponit simpliciter posse ad sui conseruationem, nego.

9 In istis: Habitus acquisitus ad primam sui infusionem supponit infusum: ergo ad sui conseruationem. Probatur consequentia: Non magis requiritur ad productionem quam ad conseruationem; sed ad productionem habitus adquisitus supernaturalis requiritur infusum: ergo ad conseruationem. Respondeo negando primam consequentiam antecedenti admissio, quia in prima productione habitus adquisitus producit ab actu, & actus supponit habitum infusum, à quo producit, ac proinde supponit in illo instanti habitus adquisitus infusum, à quo dependet tanquam à causa mediata. In instanti vero conseruationis habitus adquisitus non conseruatur ab actu, sed à Deo tanquam à primo, & ultimo conseruante, ac proinde non dependet neque proximè neque remotè ab habitu infuso. Ad probationem consequentiae respondeo non magis requiri ad producendum, quam ad conseruandum effectum quandoproductione, & conseruatio futura est ab eadem causa: quando vero productio futura est à causa secunda, & conseruatio à prima, requiritur causa remota conseruans illam causam secundam, vt effectus producat, non vero requiritur, vt conseruetur causa remota conseruans Deum proximè effectum conseruantem.

10 Affirmo, actus supernaturales non producere habitum infusum adquisitum supernaturalem, quia si illud producerent, superfluum posset esse habitus infusus, quod sic probo. Habitus infusus requiritur vt eleuet potentiam ad actum supernaturalem, quem ipsa vipote naturalis non potest producere, sed hæc eleuatio tribueretur potentie ab adquisito: ergo superfluum esset infusus. Probo minorem, in qua est tota difficultas: Habitus acquisitus vt probauit producit actiue substantiam actus: ergo posito habitu acquisito supernaturali iam esset aliquod compincipium potentie supernaturale ad actum supernaturalem producendum: ergo esset sufficienter eleuata, & esset ex parte principij actiui aliquid supernaturale, cui responderet supernaturalitas re: lucens in actu: ergo non esset necessarius alius habitus infusus ad actum supernaturalem producendum. Dices, necessarium esse habitum infusum quia acquisitus non est ad substantiam, sed ad facilitatem. Contra: probauit iam habitum acquisitum concurrere ad substantiam, & tantum dici concurrere ad facilitatem, quia sine illo potest dari alius similis actus circa illud obiectum: ergo habitus acquisitus supernaturalis influeret in substantiam actus supernaturalis: ergo ad hunc non esset necessarius habitus infusus supernaturalis, cui corresponderet supernaturalitas effectus.

11 TERTIA CONCLUSIO. Facilitas ad actus supernaturales prouenit ab habitu naturali eleuato habitu infuso ad actus supernaturales producendos. Hæc conclusio probanda est ex duabus præcedentibus, vbi probauit facilitatem actuum supernaturalium reducendam esse in aliquem habitum acquisitum, & nullum supernaturalem produci. Ex quo necessario cogimur ad habitum naturalem confugere. Confirmatur ex doctrina tradita Punct. 4. vbi probauit habitum reddere potentiam facilem ad actum distinctum in specie ratione principij ab illo à quo fuit productus, dum non distinguatur à ratione obiecti: ergo habitus naturalis productus ab actu naturali poterit reddere facilitatem potentiam ad actum ratione principij supernaturalem & specie distinctum secundum hoc prædicatum, dummodo tædat in idem obiectum, in quod tendebat actus, à quo fuit productus. Confirmatur ratione desumpta à priori ex ipsa natura habitus. Habitus deseruit ad vincendam difficultatem, & reddendam facilitatem potentiam: sed tota difficultas, quæ est in actu desumitur ex materia, & ex motiui circa quod versatur actus, nõ ex naturalitate, vel supernaturalitate: ergo dum materia, & motiui sit idem, idem habitus requiritur, siue actus futurus sit naturalis, siue supernaturalis. Probo consequentiam: vbi est eadem difficultas, eadè facilitas requiritur, vt vincatur, sed quotiescumque est eadem materia, & idem motiui eadè difficultas: ergo requiritur eadem facilitas, quia vincatur, seu eadem facilitate vincitur difficultas, quæ est eadem. Difficultatem non oriri ex supernaturalitate facile probatur. Actus naturalis, & supernaturalis

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. 11.


ralis circa eandem materiam & idem motiui tantum differunt ex diuerso principio à quo procedunt: sed potentia non habet specialem difficultatem in producendo actu adiuta alio compincipio supernaturali, vel naturali: ergo difficultas actus non oritur ex supernaturalitate, vel naturalitate. Maior est certa: minor ex ipsis terminis constare videtur, quis enim dicit voluntatem difficilius erumpere in actum adiutam habita infuso, quam sine illo?

12 QUARTA CONCLUSIO. Actus supernaturales produciunt, vel intendunt habitum, quo actus supernaturales, & naturales facile producuntur. Infero hanc conclusionem ex præcedenti. Idem habitus deseruit vt facile fiant actus supernaturales, & naturales, & tã horum, quam illorum exercitio experimur facilitatem illorum, quæ vtriusque est cõmunis accrescere: ergo idè fundamentum est, vt dicamus habitum produci & intendi actibus naturalibus, & supernaturalibus: ergo dicendum ab vtriusque produci, cū nulla repugnancia sit in eo, quod actus supernaturalis producat naturalem habitum.

13 Obiic. ex Soar. Actus producit inclinationem in actus similes illi: ergo actus naturalis non producit habitum inclinante in actum supernaturalem, neque actus supernaturalis producit habitum inclinante in actum naturalem, sed naturalis producit habitum inclinante in actum naturalem, & supernaturalis inclinante in actum supernaturalem: ergo. Respondeo: Actum producere habitum inclinante in actus illi similes ratione motiui, & ratione materie, siue similes, siue dissimiles ratione principij, ac proinde actum naturalem producere habitum inclinante in alium actum tendentem in idem motiui, siue naturalem, siue supernaturalem. Similiter actus supernaturalis producit habitum inclinante in omnem actum siue naturalem, siue supernaturalem tendentem in idem motiui & materiam similem, in qua non reperitur noua difficultas.

14 Obiic. ex Hurt. Si actus supernaturalis potest producere habitum naturalem, habitus supernaturalis poterit producere actum naturalem: ergo nullum erit caput ex quo sumatur supernaturalitas actus, & poterimus dicere actum voluntatis procedentem ab habitu infuso esse naturalem. Respondeo disparem esse rationem, quia actus, qui procedit ab habitu supernaturali per se & essentialiter est coniunctus cum illo, ita vt nequeat de potentia Dei absoluta ab illo nõ procedere, quia actus vitalis consistit in actione essentialiter per se ipsam connexa cum suo principio. Habitus vero dependet ab actu supernaturali mediâ actione, & potest ab illo non dependere, sicuti de facto non dependet in instanti generationis, ac proinde ex eo quod dependeat ab actu supernaturali non inferitur non posse dependere ab actu naturali, & non esse naturalem secundum suam entitatem.

15 Hæc dixerim in sententia, quæ habitus supernaturales superaddidos constituit, in illa vero, quæ facilitatem in cognitione, & habitus tantum in speciebus constitueret, quid dicendum sit facile constat ex dictis de specierum productione ab actibus intellectus, & voluntatis.



CONTROVERSIA XV.

De Specificatione.

IN HIL frequentius in Philosophia fertur, quam potentias specificari per actus & actus per obiecta, neque potentiis & actibus remitti specificationum clauduntur, vix enim de aliqua entitate disputamus, præcipue si relatiua sit, cui proprium specificatiuum non tribuimus. ideo placuit Controuersiam hanc instituere de specificatione rerum omnium.

PUNCTVM I.

Quid sit specificatio.

Specificare propriè loquendo est rei speciem facere, seu propriam speciem rei tribuere, quod si strictè sumatur causalitatem specificatiui in specificatum dicit, quod enim speciem alicuius efficit & illi speciem dat. verè est causa illius, ideo doctè dixit P. Herice tract. 1. disp. 5. c. 4. n. 39. & tract. 2. disp. 18. cap. 5. num. 34. specificationem formalem, & à priori inuoluere dependentiam. Ex hoc principio,

S hanc